



1708.

1. von der Velde, Cornelius : De pluribus safe-  
fragiorum in causis religionis.

1709.

1. Waldschmidt, Johann Wilhelm : Ueber ein Diversis  
retrahentibus potior?

1711.

Zunnschliffers, Hermann Philippus : De jure  
ignotorum.

1712

1. Waldschmidt, Joh. Wilhelmus : De eo, quod justum  
est in Dapasi regionum mensura.

1713.

1. Nicolai Philip Christianus : De incoluntato  
inter antecessorem et successorem controverso.

1714.

1. Waldschmidt, Joh. Wilhelmus : De contributione Diversarum  
Germaniae regionum.

1714.

29, 6, c. Wemerus, Joh. Georgius: De pactis Sola  
= Liber 2 Sumpl. 1714: 1742.

1715.

1. Burgh, Johann Ludovicus: De testamentis caecis
2. Buser, Johann David: De reviviscencia  
testamentorum
3. Waldschmidt, Johann Wilhelm: De legato creditor  
relieto in debitum impetando. 2 Sumpl.

1716.

1. Waldschmidt, Johann Wilhelm: De dominibus  
propriis Haereticis.
2. Witt Winter, Berthold Helfrich: De potestate  
judicis in differentiis oralis et fundata  
in l. 40 D. de judiciis

1717

1. Waldschmidt, Johann Wilhelm: De coelata  
restitutione

1717

2. Waltschmidt, Joh. Wilhelm: De possessione  
ejusque effectibus inter gentes.

1748

19. <sup>16</sup> Waltschmidt, Joh. Wilhelm: De mutatione  
Cannariis . . . 2 Sept. 1718: 1748.

20. <sup>16</sup> Waltschmidt, Joh. Wilhelm: De mutatione  
insignium et sigillorum S. R. I. Statum.  
2 Sept. 1718: 1746.

1771  
1772  
1773  
1774  
1775  
1776  
1777  
1778  
1779  
1780  
1781  
1782  
1783  
1784  
1785  
1786  
1787  
1788  
1789  
1790  
1791  
1792  
1793  
1794  
1795  
1796  
1797  
1798  
1799  
1800









DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

DE

JURE IGNO-  
TORUM.

Quam

SUB PRÆSIDIO SUMMI PRÆSIDIS

Ex Decreto & Auctoritate

MAGNIFICI atque AMPLISSIMI  
JCTORUM ORDINIS

IN

*Celeberrima Cattorum Academia  
Marburgensi*

Pro Summis in utroque Jure Honoribus & Privile-  
giis Doctoralibus ritè capeffendis

Publico & solenni Excellentissimorum Academiæ Procerum

Examini submittit,

*In Jctorum ad Lanum Auditorio*

*Ad diem V. Martii, Anni MDCCXI.*

HENRICUS PHILIPPUS  
ZAUNSCHLIFFERUS

Marburgensis.



*Marb. Catt. Typis JOHANNIS KURSNERI, Acad. Typ.*

*Serenissimo & Potentissimo*  
PRINCIPI ac DOMINO  
DOMINO  
CAROLO I.  
HASSIAE LANDGRA-  
VIO, PRINCIPI HERSFEL-  
DIÆ, COMITI CATTIMELIBO-  
CI, DECIAE, ZIEGENHAINÆ,  
NIDDÆ & SCHAUMBURGI,  
&c. &c.

Patriæ Patri, Pio, Forti, Felici, Augusto,  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Tenues hasce Dissertationis Inauguralis pagellas

D. D. D.

*ad omnia obsequia devotissimus & sub-  
jectissimus servus*

HENR. PHILIPP. ZAUNSCHLIFFERUS,  
Marburg. Catt.



## CONSPECTUS MATERIE.

**I**N Prolegom. §. I. pag. 3. de-  
rivatio vocis Ignoti & Juris  
exhibetur. §. II. Homonymia  
vocius Ignoti & Juris explanatur;  
& transitus fit ad SECTIONEM  
PRIMAM; cuius §. I. pag. 5.  
agit de servo ab Ignoto emto, an  
suo nummis emtus dicatur §. II.  
matrimonium persona libera cum  
Ignoto servo exhibet. §. III. De  
non statim recipiendo ignoto mo-  
nacho; & de ignotis ad Clerica-  
lem dignitatem aspirantibus dis-  
ponit. §. IV. Quatenus ignotus  
pro cive habendus, & in civem  
recipiendus, adumbrat. §. V.  
Matrimonium cum ignoto con-  
trahendum sstir. §. VI. declarat,  
an liberi expositi ignoti pro spu-  
ritis habendi: à quo alendi: cu-  
jus loci civilia jura assignanda, &  
an ad Honores Academicos ad-  
mittendi.

**SECTIONIS SECUNDÆ**  
§. I. pag. 14. Perustratò statu  
personarum, transitio fit ad jus  
rerum §. II. Ex jure in re agitur  
de testatore testamentum relin-  
quente, eoque vel omnibus; vel  
saltem testibus ignoto: & de he-

reditate ignoti intestato mortui,  
§. III. De herede, vel testatori,  
vel testibus ignoto. §. IV. De Le-  
gatario & testamenti executore  
ignotis. §. V. De Dominio,  
vel ab ignoto, vel in ignotum  
transferendo: ubi de donatio-  
ne: derelictione: thesauri, &  
rerum levanda: navis causa ja-  
cturam inventionis. §. VI. De  
Missilibus ab ignotis acquiren-  
dis. §. VII. Reliquæ juris in re  
species, circa ignotos occurren-  
tes absolvuntur.

**SECTIONIS TERTIÆ**  
§. I. pag. 22. gradus fit ad jus  
ad rem: ubi examinatur; qua-  
tenus pacta ignotis prosint. §. II.  
Tractatur de Creditore, igno-  
tis mutuum dante, vel ignotos  
fidejussores recipiente. It. De eo  
qui pro ignoto fidejubet; & de  
Usuris solito majoribus ab igno-  
to prestandis §. III. De depo-  
nente, depositario, & sequestro  
ignotis. §. IV. De commodata-  
rio ignoto. §. V. De pignore ab  
ignoto recipiendo. §. VI. De sti-  
pulante ignoto, & contractu  
chirographario cum ignoto ce-  
lebrato

lebrato. §. VII. De emtore & venditore ignotis. §. VIII. De locatore & conductore ignotis. §. IX. De societate inter ignotos contracta. §. X. Demandante, tam in iudicio, quam extra iudicium, & mandatario ignotis. §. XI. Occupati sumus circa quasi contractus; ubi de Tutore & contutoribus ignotis: it. caupone, rem ignoto restituente. §. XII. De negotiorum gestore ignoto; & de repetendis impensis in ignoti funerals factis it. de loco ignotorum sepulture concedendo. §. XIII. Delicta aggreddimur; ubi de occisore, occiso, & delicti corpore ignotis. §. XIV. De pecunia, doloso lusu ab ignoto acquisita. §. XV. De injuriante & injuriato ignotis: ubi & de Pasquillis & scheidulis anonymorum. §. XVI. De Medicastris ignotis, (vulgo Störger) ubi & an securitate territoriali gaudeant? §. XVII. De illo, qui falsam monetam expendit, & auctorem nominet ignotum. De eo, qui graffatori ignoto, seq. Officialem iactanti opem fert. De instrumento publico ignoti manu exarato: & de puella, se vi ab ignoto compressam asserente; item de ea, qua sibi consentienti ab ignoto stuprum illatum esse dicat §. XVIII. Occasione delictorum piendi.

tractatur de ignotis poenitentiam publicam agentibus. §. XIX. De Asylis ignoto concedendis. §. XX. De quasi delicto, quo Nautae Caupones &c. tenentur de damnis a servis ignotis datis.

**SECTIO QUARTA** miscellanca exhibet, qua aliis Sectionibus commode subijci non potuerunt: & quidem §. I. pag. 59. De actore & Advocatis ignotis. §. II. De testibus tam in causa civili, quam criminali ignotis. §. III. Ex Polina Ecclesiastica tractatur de inquisitione Pastoris in Parochianos ignotos. §. IV. De mendicantes ignotos. §. V. De infantibus & adultis ignotis baptizandis. it. de Patrinis ignotis admittendis: §. V. De ignotis ad S. Cœnam accedentibus. §. VI. De ignotis sponis benedictionem sacerdotalem ambientibus concedendis. §. VII. De Honoribus Academicis ignoto concedendis. §. VIII. Excutitur questio: an ignoti jure Gentium sepeliendi. §. IX. Agitur, de Securitate territoriali ignotis transeuntibus prestanda: it. de eorum examine. §. X. De ignotis ad Postas admittendis. it. de literis ab ignoto acceptis; vel ignoto a Postarum Praefecto traditis. Denique §. XI. per modum corollarii examinatur questio: an ignoti oculis sint exci.



Q. D. B. V.

## Præfamen.



A temporum nostrorum infelicitas nescio an dicam, an verò felicitas existit, ut connatus ferè ardor ignotas vivere terras magnum animum non unius urbis mœnibus claudere, sed in totius orbis commercium emittere videatur: ut florentissima commercia homines ex ultimis & ignotis gentibus deducant, & frequentissima peregrinationes in conspectum extrahant, quicquid hucusque alto silentio obrutum atque sepultum erat. Felicitas est, dum occasio nobis sub ministratur, non tantùm officia civis sed & hominis exercere, & latiore virtuti campum dare: Felicitas est, dum non solum succi medelarum miracula facientes, utilissimarum herbarum exoticarum vis, & aromata pretiosissima simul atque saluberrima exinde ad nostram pervenerint notitiam atque commodum, sed & Gentibus, quæ hucusque ἀγνώστῳ ὄντι litarunt (ceu olim Athenienses testantibus *Act. Apost. cap. 17. v. 23.*) facula fidei accensa fuerit, corda nimirum earum illuminante sole iustitiæ Christo Jesu. Infelicitas verò est, dum exinde plurimæ unguentorum compositiones, ciborum ad luxum comparatæ conditiones, gulæ irritamenta & corporum lenocinia antea ignota Patriæ nostræ alterum quasi diluvium minentur: Infelicitas quoque est, dum auri sacra fames, commerciorum si non mater, certe tamen no-

A

verca

verca, & peregrinantium multitudo ejusmodi ignotis occasionem dederit homines subignota fallere specie, & contractus, in quibus si vel inter notos celebrentur jam jam mille pereundi figuræ occurrunt, difficiliore atque minus securos reddere. In hac itaque ignotorum conversatione si quis vigilantia quasi stertere naso, nec personarum respectum atque rationem habere velit, sed earum dictis neglectâ præviâ & personæ & veritatis inquisitione, quasi ex Delphici oraculi tripode prolatis auscultet atque obtemperet, non dubium est, quin præsentissimum incurrat periculum. Quantum enim utilitatis in negotiis civilibus ex diligenti personarum indagine dependeat; quantum e contra detrimenti eos sequatur, qui fidunt, sed non cui fidant, vident, omnibus dijudicandum relinquo, quos frequens cum ignotis commercium testes omni exceptione majores fecit. Non inutilem itaque operam infumisse mihi videor, quòd in vastissimo nostro juris Oceano fluctuanti primus sese conspiciendum dederit hic portus, & ad regendos tremulæ navis cursus obtulerit, nimirum materia de *Jure Ignotorum*, quæ præ aliis ita mihi arrisit, ut hoc periculum in ea facere non dubitaverim; in quo an consecutus sim, quod materiæ dignitas exposcit, tuum erit, Benevole Lector, judicare; quod judicium tantò æquius & in me propensius spero, quantò libentius ingenii mei paupertatem agnosco, & discussâ ab aliis errorum, si forsan occurrant, caligine, veritatis lucem sequi in votis habeo. Non enim ea imis infixâ medullis hæret superbia atque fastus ut omne humanum à me alienum & nullo errore me obnoxium putem; nec de verbis hisce meis dictum volo, quod & sacra & profana historia de arcu & sagittis Jonathanis & Herculis testatur, eas nimirum scopum præfixum semper ferire, nec unquam incassum redire assuetas fuisse.

PROLE-

## PROLEGOMENA.

§ 1.

**S**olenne aliàs, nec propterea sterilius Disputationum Juridicarum principium est, dum earum auctores in ipso statim lumine originem vocum, tyronibus plerumque notissimarum, earumque derivationem Grammaticalem nimis solliciti indagantur, inque iis inutili plane conatu ceu Areopagitarum Grammatici criticas suas exercent manus. Non equidem negandum est, esse & voces difficillimas, & peregrini plane idiomatis, in quibus explicandis quis laudabilem haud dubie impendit operam, & quarum penitus perspecta origo omnium fere contentorum quasi schema ac delineamenta exhibet; quilibet autem fere puerorum, etiam qui nondum ære lavantur, ad unguem tenet vocem *Ignotus* natales suos nemini debere, nisi adjectivo *notus* & privativo *in* & tantum propter euphoniã dictum fuisse *Ignotus*: dulcius enim visum est, *Ignoti*, *ignari* dicere, quam ut veritas postulabat, *innoti*, *junari*: vid. Ciceronis *Oratorem cap. 47. pag. m. 201.* *Juris* verò vocabulum, nullam plane derivationem recipit, cum sit vox primitiva; nisi forte à *jussu* & *jubendo* derivare velis. Non obstante derivatione Ulpiani in *l. 1. pr. ff. de juss. & jur.* Hæc enim lex non solum aliam vocis *Juris* significationem ponit, sed & quod præcipuum est, non tam Grammaticalem quam Logicam derivationem ostendit, vid. Hunn *Var. res. lib. 1. Tract. 1. qst. 8.* Hahn ad *Wel. tit. ff. de j. & j. n. 14. verbis atque ex his.* Et hinc earum explicationi non diutius immoremur, sed potius ad Homonymiam seu varias dictarum vocum significationes demonstrandas nos accingamus.

§ 2.

*Ignotus* autem varia gaudet significatione, & quidem I. demonstrat *ignobilem*. Sic Cicero *Orat. pro Flacco pag. m. 327.* *Dubitabitis, judices, quin ab ignotissimo Phryge, nobilissimum civem vindicetis?* Ovid, *lib. V. Metam. v. 540.* Inter Avernales non

A 2

*ignotissi-*

*ignotissima* nymphas; conf. *Amor. lib. 3. Eleg. 14. v. 9.* Horat. *lib. 1. Sat. VI. v. 6.* naso suspendis adunco *Ignotos* & *Ead. Satyra v. 23.* trahit constrictos gloria curru Non minus *ignotos* generosis, Senec. in *Medea v. 621.* *Ignotas* jacet inter umbras. Sueton. in *Tiber. cap. 42.* *Ignotissimum* Quæsturæ Candidatum nobilissimum anteposuit. Conf. Virg. *Æn. V. v. 795.* Quemadmodum & converso loquendi genere *Ignobilis* pro *Ignoto* venit apud Plautum in *Amphitr. Act. 1. Sc. 1. v. 284.* Nunc quando ego sum, vapulabis nunc hinc abis, *Ignobilis*; & in *Pseudol. Act. 4. Sc. 2. v. 9.* peregrina facies videtur hominis atque *Ignobilis.* Virgil. *Æneid. lib. VII. v. 776.* Solus ubi in sylvis Italis *Ignobilis* ævum Exigeret. II. *Ignotum* pro non consuetoponunt Martial: *De Spectac. Epigr. 15. v. 5.* *Ignota* spectandum mole leonem; & Senec. *Herc. fur. Act. IV. Sc. 1. v. 49.* Unde nox atrum caput *ignota* profert: h. e. non consueto tempore. Conf. Ej. *Herc. Oetereæ v. 690.* junct. *Oedip. v. 898.* III. *Ignotum* pro occulto & in observato legas in Virg. *Georg. lib. IV. v. 242.* ubi vide notas Taubmanni. IV. *Ignoti* nomine venit *incertus*; ille enim qui missilia in vulgus sparsa accipit, spargenti *ignotus* est, quia est *incertus*: & *incertus* possessor est, qui nobis *ignotus* est, l. 39. §. 3. ff. de Verb. sign. Et V. denique sumitur sensu proprio & quidem vel active pro iis, quibus tu es *ignotus*, seu qui ignorant, non qui ignorantur. Sic Cicer. in *Verrem. V.* producere ad *ignotos.* Phædr. lib. 1. fab. XI. v. 2. *Ignotos* fallit, notis est derisui: ubi vide not. Gudii doctissimas. Conf. Corn. Nep. in *Agesil. cap. 8. n. 1.* Vel passive pro eo, qui ignoratur seu tibi est *ignotus.* Exemplum est in eutore, cujus excusatio non admittenda est, si hæc solâ utatur, quod *Ignotus* patri pupillorum fuerit §. 10. Inst. de Excus. tur vel cur. Sic quoque in acquirendo thesauro dominus debet esse *ignotus* inventori. l. Un. C. de Thesaur. Hi autem omnes iterum vel quoad personam, vel quoad mores, vel quoad bona nobis sume *ignoti*, ut locis convenientibus monebimus. Ex variis itaque hisce significationibus quasdam meas jam facere ipsum certè rubrum exposcit. *Primam* autem quod attinet, hanc utpote à scopo nostro alienam aliis quoque inquirendam relinquimus. Nec aliud iudicium de *Secunda* & *Tertia* erit. *Quarta* quidem hujus loci esset, cum *incertus* sæpius imò semper nobis sit *ignotus*; si non



§

non quoad personam & mores in genere, tamen quoad aliquam  
 qualitatem & conditionem in specie, qua nos in colat, quaque  
 faltem ex post facto nobis nota fieri solet. Sed cum hac materia  
 specialem mereatur inquisitionem, & vero quoque eam pro dignita-  
 te tractata, hunc de Ignotis discursum consuetos Disputationis ter-  
 minos egredi, & in tractatus molem excrefcere necesse sit non nisi  
 parcissime, uno videlicet atque altero loco ejus mentionem facie-  
 mus. *Quinta* itaque restat, qua materiam huic Disquisitioni  
 sceneratur, hinc & in ea accuratius explicanda omnem nostram  
 collocabimus operam. Diversas vero vocabuli *Juris* significatio-  
 nes collectas elegantissime recenset Hahn ad *Wcl. tit. ff. de Just. &*  
*Jur. n. 14.* ad quem Lectorem remittimus, ne eas ex charta in pa-  
 pyrum, ut ajunt, scripsisse, nobis imputetur. Ex hisce juris si-  
 gnificationibus *tertiam* nostram facimus, *Jus* accipientes pro *Jure*  
 constituto à Superiore, Ignotis reddendo; quemadmodum intel-  
 ligitur in definitione justitiæ *Jus suum*, vid. *pr. Inst. de J. & J.* Cum  
 autem ordine demtò confusum chaos efficiatur, in ordinem verò  
 certum digesta rebus cum facilitate lucem simul superaddant; hinc  
 & à nobis certa atque fixa methodus erit seligenda, qua erit, ut pri-  
 mò dispiciamus de *Jure Ignotorum*, circa *statum* eorum in se con-  
 sideratum, & sic circa *jus personarum*; deinde nos conferamus ad  
*jus rerum*, & quidem de eo *jure*, quod constitutum est circa obli-  
 gationes, qua descendunt *ex jure in re*: Porro transeamus ad  
 contractus & delicta ex *jure ad rem* provenientia: Et denique co-  
 ronidis loco subjungemus *miscellanea*, qua ex dictis tribus fonti-  
 bus commode derivari non potuerunt. Sequitur ergo

## SECTIONIS PRIMÆ.

§. I.



Hum itaque Dissertationis nostræ primò nos ducit ad  
 personarum statum, inque hoc prima quasi fronte se  
 se nobis offert status libertatis, & oppositè servitutis.  
 Circa hunc notandum, quod servus, si ab *ignoto* em-  
 tus sit, postea autem pretium suum offerat, non tamen audiendus

A 3

fit,

fit, per l. 4. §. 2. ff. de Manumiss. Ea enim servi se ipsum ementis in iure nostro conditio est, ut per eiusmodi venditionem libertatem consequi nequeat, nisi & emtoris & venditoris convenientibus oculis (ut §. 1. d. l. loquitur.) & imaginariâ venditione emtus sit, ita ut alius emtioni suum nomen accommodaverit, de suo tamen nihil impenderit, d. §. 1. Servo itaque ab *Ignoto* emto certissimum videtur obstaculum positum esse in eo, quod non propriis suis nummis, sed prorsus alienis emtus sit. Imaginariâ enim venditioni hic è diametro opponitur numeratio pecuniâ emtoris propriâ, eaque emtio aliò plane sensu accipitur, quàm in l. 16. ff. de Reg. Jur. quam itaque legem perperam allegat Gothofredus ad d. l. 4. §. 2. Hanc autem pecuniâ propriâ numerationem in emto tali servo non adfuisse, *partim* ex eo evinci poterit, quod inter ignotos emtio celebrata fuerit, inter quos imaginaria eiusmodi emtio & venditio locum obtinere nequaquam potest; quippe quæ absque præcedente pacto & fide contractus perfici nequit, quod tamen pactum ignotos nobis notos reddit: *partim* quoque ex eo elucet, quod hæc pecuniâ oblatio non facta fuerit ab initio contractus, sed emtione demum ac venditione perfectâ, quod certissime evincit emtorem in solvendis nummis non imaginariè processisse. Vid. Struv. S. 7. C. Ex. 40. th. 37.

§. 2.

De matrimonio porrò personæ liberæ cum *Ignoto servo* ac putativè libero notabilia quædam disponit l. 3. C. sol. marr. q. dos per. Notandum itaq; quod matrimonium inter liberam personam & servum contractum sit nullum, nec dicatur matrimonium, sed tantum contubernium. l. 3. C. de Incest. & inut. nupt. l. servi. 23. C. ad L. Jul. de adult. conf. Struv. Ex. 29. th. 28. Pacium ad pr. l. ff. de Nupt. Adeo, ut si ignoto & putativè libero servo libera nupsit, iure quoque Canonico matrimonium nullum sit, c. 2. 3. & ult. X. de conjug. serv. adstruentibus hoc Canonistis ex triplici potissimum ratione. Primò quod hoc matrimonium repugnet bono, ut somniant, Sacramentali; e. cohabitationi; Secundo; bono fidei; quod servi ut plurimum essent infideles; & denique bono prolis, quæ à parente religiose educari nequeat; quas rationes ex Gutterez & Sanchez aducit Brunnem, ad d. l. 3. C. sol. marr. & c. Dummo-

modo post veritatem compertam non de novo consenserit in matrimonio *d. cap. 2. de conj. serv. & arg. c. si quis ingenuus 4. Caus. 29. qst. 2.* ubi Cuiac. conf. Rittershus. *de differ. Jur. Civ. & Can. lib. 1. cap. 20.* Ignorantia autē hæc præsumitur, & è diverso alterius partis scientia probanda, Brunn. *ad l. 3. C. de incest. & inut. nupt. n. 7.* Secus tamen est si sciverit servilem conditionem; nam licet hoc nec jure Civ. subsistat, de jure Canonico tamen non retrahitur. *cap. 1. X. de Conj. serv. Rittershus. cit. loc. II. Dist. l. 3.* jubet, ut, quemadmodum solutò matrimonio, sic & eò nullò declaratò ob servilem mariti conditionem, dos possit repeti ex peculio, ita ut mulier omnibus mariti putativi creditoribus præferatur, dominò servi exceptò, si quid ei debeatur: supplente id *l. 22. §. fin. ff. sol. marr. & c. & l. 3. C. Eod.* ubi Brunnem. III. ac postremo, ut liberi ex putativo tali matrimonio nati, ingenui quidem sint, sed tamen spurii, quia ventrem, seu matris liberæ sequuntur conditionem, & pater jure Civili pro nullo habetur, quia patris conditio fuit incerta. *§. 12. Inst. de Nupt.*

§. 3.

Obligationi autem atque vinculo, quod dominum & servum conjungit, per omnia ferè æquiparatur nexus inter monachum suumque monasterium: hinc & quod *ignotus monachus* non statim vestitus sit, huic de statu libertatis classi rectè subjiciendum duximus; Et si vel servis communibus monachos assimilare dubitemus; Adscriptiorum tamen conditionem in illos quadrare <sup>non</sup> negabit. Præcipit itaque *Nov. 123. cap. 35.* ne monacho ignoto schema ab Abbate præbeatur: & quidem intra tres annos, ut scil. intra hoc tempus monasterii Præsul hominis hujus conditionem ac conversationem experiat: conf. *Nov. 5. cap. 2. §. 1.* Schema quod fuerit, quò colore, figura quibusvè signis, à Laicorum vestitu discrepaverit Philologis atque Antiquariis disquirendum relinquimus; ac potius rationem dispiciamus hujus prohibitæ & in certum tempus dilatæ receptionis, & investiendi ritus. Metuebant nimirum, ne scandalum inde exoriretur, si habitum juxta eorum opinionem consecratum deponere, vota Deo semel facta retractare, & sic ab ipso quasi divortium facere cogerentur, si scil. postea reperiantur vel I. servi, qui tædio servitutis, vel ob nimiam do-

mi-

minorum diuitiam ad monasterium, ceu ad sacram quandam anchoram & quietam post tot labores stationem confugerant, agriculturum terrestrem cum spiritali commutaturi: hos enim tremenda domini verba: hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo: teste Rosin, *Ant. Rom. lib. 9. cap. 10. §. 6* ex monasterio poterant revocare, ne domino jus suum in seruum competens eriperetur: hinc & eorum ordinationem expressè vetat *cap. 1. 2. & 5. X. de ser. non ord.* Vel II. malefici, qui patrata male facinorosa ac delicta conversionis atque pietatis specie elidere, eorumque poenam eludere cupiunt, sicque subignota specie ac nomine monasteria subeunt. Sed & hi ad infligendam sibi promeritam poenam extrahi possunt, imò debent; ne videlicet delicta remaneant impunita, qua vindicare publicè interest *l. 14. in fin. C. de poen.* & hujusce personæ ordinatione ecclesia infametur. *cap. un. X. de oblig. ad ration. ord. vel non.* vel III. Milites, quos innumeri militiae labores ad monasteria ante completum militiae tempus compellunt; quos tamen & inde expelli jubet Gregorius *can. Monasteriis 6. caus. 19. qst. 3.* Fatale itaque tempus, intra quod avocatio Ignotorum fieri debet, est triennium; si hoc præterlapsò dominus serui, Magistratus delinquentis & Praefectus militis veniant, nihil prorsus contra personas agunt, nec possunt ipsis propter fortunam molesti esse. Res autem, quas in monasterium ejusmodi Ignotus induxit, illæsa ad dominum redire debent. *d. Nov. 123. cap. 35. in fin. conf. can. 3. qst. 2. caus. 17.* Quamvis si non de persona, sed tantum de conversione ignoti, quaestio sit, biennium sufficiat, eoque præterfluxo sine scandalo quis tonsurari & ab Episcopo consecrari possit, *d. can. Monasteriis 6. qst. 3. c. 19.* Hac de ignoto in monachum non recipiendo: adjungemus nunc quædam de Ignotis, ad Clericalem dignitatem aspirantibus. Hos ad ejusmodi honores non admittendos, sed nisi quinque aut eò amplius Episcoporum chirographis sint designati, rejiciendos esse, jam olim Concil. Rom. judicavit, vid. *can. 1. distinct. 98.* & Concil. Trid. quoad commendatitias Ordinarii sui literas approbavit. Vid. Dessel, *Erort 7. Can. lib. 1. tit. 22. qst. 3.* quod chirographum olim sub nomine epistole formatae veniebat; cujus exemplar vid. *can. 1. distinct. 73. ubi notabiles clausula.* Nota in genere ad hanc materiam Gothfr.

thofr. ad l. 11. C. de Episc. & Cler. lit. h. & i. Confer de Afris & incognitis peregrinis obprægnantes, quæ ibi subiiciuntur, causas, rejiciendis: *can. 3. d. distinct. 98.* Ignotum denique Episcopum respuit *Nov. 123. cap. 1. §. 1.* & an ejusmodi Episcopum obtrudere Clero expediat vid. *Dessel Erot. 7. Can. lib. 1. tit. VI. §. 1. §. 4.*

Libertatis statum juxta fixam nobis methodum excipit status civitatis. Circa hunc notandum, quod defunctus Ignotus non habendus sit pro incola ac cive loci, in quo cadaver reperitur; nisi (1.) Ratione tuitionis ac securitatis, quæ in alieno territorio gaudet, quamque Princeps illius territorii huic debet. *Frieseh. de vis publ. cap. 12. n. 3. conf. seq. Sect. 3. §. 13. in med.* (2.) Ratione Jurisdictionis cui subiectus est: Non enim Sceptris ac Judicio Academia nec Tribunali militari ignotus transiens parere debet, sed Magistratus Civicus qui Imperium habet, fundatam in eo habet Jurisdictionem. *Feltman. de Cadav. Inspic. cap. 23. n. 5.* Qui tamen *seq. n. 6.* excipiendum putat casum, si Ignotus Studiosus animo frequentandi Academiam accesserit, atque perierit antequam nomen esset professus: hunc enim pro Cive Academico habendum esse, probare saragit ex Suevo *ibid. alleg. Conf. Dn. Parent. Tr. ad Auth. hab. Sect. 2. §. 2. in fine.* Ad hunc porro statum refertur, quod Ignotus non statim ad civitatis jura admittendus & civium albo sive matriculæ inscribendus, sed prius examinandus ejusque conditio inquirenda sit, non quidem examine, ut ita dicam, summiario, sed accuratissimo; Quod olim Quæstorum muneri creditum erat *Nov. 80. cap. 1.* hodie verò competit jus recipiendi cives etiam Senatui inferiorum civitatum *arg. l. 5. §. 13. ff. de Jur. immu. Struv. Exerc. 50. th. 50.* & sic per consequens etiam examen receptionem præcedens. Civitate autem excluduntur nec recipiendi, I. infames; quia portæ dignitatum infamibus patere non debent *l. 2. C. de Dignit. c. infamibus 87. de Reg. Jur. in 6. Brunnem. ad tit. C. de Decur. & fil. cor. & c. n. 25.* & in specie de mercatore dolose fallito non recipiendo, quia infamia laborat vid. *Mevium part. VI. dec. 282. tor.* Ad quas tamen dignitates concessis civium privilegis & patefactis civitatum portis simul ingressus concederetur, II. Hæretici; quia nullam habent contractuum communio-

B

nem,

nem, sed quos morte persequendos esse jubet *l. 4. §. 4. & l. 5. C. de Hæretic. Conf. Brunnem. ad dd. LL. cui tamen juris civilis dispositioni non ita simpliciter subscribunt & clavibus trabalibus affixi sunt mores præsertim Protestantium. Quamvis nec Judæum sive notus sive ignotus sit, minor Magistratus recipere possit, sed horum receptio inter Regalia numeretur. Aur. Bull. tit. 9. in fin. III. Banniti. Dumenim Ord. Cam lib. 2. tit. 10. & 12. receptatores, etiam bannitorum, banno feriendos sancit; qualem sibi pœnam promittere possunt illi, qui bannitos civitate donant? conf. *X. Absch. de Ann. 1521. §. De aber ic. & Gail. lib. 2. de pac. publ. cap. 10. sparsim.* IV. Denique aliorum cives & subditi. Aur. Bull. tit. 10. tot. Unde quoque nemo civium matriculæ inscribi solet, nisi documentum attulerit à Magistratu, sub quo antea vixit, sui discessus & quomodo se gesserit. Struv. *Ex. 50. th. 50. in fin.* Hoc si non factum, poterit civitas sibi vindicare incolas *l. 37. pr. ad Municip. vel dominus, subditos c. 55. pr. X. de Appellat. Conf. Struv. Exerc. XI. th. 3.* Hæ autem omnes prohibita personæ non meliori ratione civitate arcetur, quam si ignotorum conditio ac status inquiratur atque examen ante receptionem instituat, tunc enim facilius non admittitur, quam post ejicitur hospes & civis; & cum haud dubie melius sit jura intacta servare, quam post vulneratam causam remedia quærere, *l. 1. C. quand. lic. unic. fin. jud. c. 6.* hoc simul obtinetur. Non tamen soli civium jura rogantes examinandi, sed & omnium Ignotorum advenientium conditio atque negotia indaganda. In his quippe exploratores, incendiarii, fures alique hujus furfuris homines latere posse haud dubium est. Conf. *infr. Sect. 4. §. 9.* Hinc non inculpanda Regis Jerichuntis sollicita inquisitio in Ignotos Hebræos, *Josua cap. 2. v. 2. & 3.* eos nimirum ad examen vocantis, sed potius ea imitanda est. Inde quoque prudentissime in quibusdam civitatibus caupones mediante juramento adstricti sunt, ut singulis diebus, portis vespertinò tempore obseratis, consignationem peregrinantium ignotorum, qui eorum tecta subierunt, Magistratui exhibeant, quo exinde adversus suspectos inquisitio formari possit. Quale autem in recipiendis foederatis ignotis examen & inquisitionem instituerit *Josua in Gibeonitis, & tamen ab iisdem dolo atque fallaciis deceptus**

tus

tus atque circumventus fuerit, legendum est in libro Josue cap. IX. vers. 3. & seqq.

§. 5.

Et tandem in jure personarum agmen claudit status familiae, quem constituit legitimum matrimonium. Circa hoc quaestio est, an iniri possit inter ignotos? & distinguendo, an quis sit sola facie ignotus, an moribus, bonis aliisque qualitatibus, an vero statu atque conditione. *Posteriori hinc casu* matrimonium est nullum, si status sit servilis de quo *prec. §. 2.* vel persona sit prorsus infamis, v. gr. si infima sortis vel deperdita fidei homo, nobilem fallat sceminam, & ea ipsi, comperto dolo, cohabitare nolit: quem casum habet illustr. Dn. Stryck. *de dissens. spons. sect. 2 §. 13.* ubi egregie ejusmodi matrimonii nullitatem defendit: quemque sequitur Ampl. Filius *in tract. de vel. sacr. in matr. cap. 3. §. 41.* vel ignotus sponsus uxorem jam habeat: quod quidem si metuitur, juramento negare debet: trina enim ex suggestu proclamatio non sufficit, dum forsitan ad prioris uxoris notitiam pervenire non potuerit, hinc ea uxoris juri quasito praedicare non valebit, Dn. Stryck. *d. Tr. de Diss. spons. Sect. 4. cap. 2. §. 7.* Prioribus vero casibus matrimonium haud dubie subsistere debet; nisi alterius fraus & dolosa perfractio accesserit: tunc enim, etiamsi solum quoad fortunas, aliasque accidentales qualitates cuidam impostum fuerit, petente altera parte laesa, & reconciliationem omnem recusante, ad annullandum matrimonium procedi posse, cum Dn. Stryck. *cit. tract. Sect. V. §. 54.* defendimus. Aliud tamen dicendum, si solus error in ignoto commissus: tunc enim communi Dd. distinctioni inter substantialia & accidentalia matrimonii insistendum, & dicendum, quod error circa ILLA commissus vitiet matrimonium; non vero circa HÆC. Quamvis ista vel formæ, vel morum, vel etiam bonorum ignorantia si non causa, certe occasio infelicissimi matrimonii sit. Hinc aureo notanda calculo verba *Constit. Frederici Daniæ Regis* quæ innuunt, quod sit levitas non ferenda, rem tantum menti tractare, & alteri fidem de conjugio dare, antequam ejus conditionem & facultates exploratas habeas. teste *Cypræo de Jur. Connub. cap. 13. §. 35.* Et certè cum nostri non alieni matrimonia debent esse arbitrii, perraro ea fausta processerunt,

runt, nisi oculis auribusque nostris suasoribus usi fuerimus: nobisque ipsis imputandum erit, si opus, quod pravia exactissima deliberatione & exploratione aggrediendum, & ubi, juxta Poëtam, ignoti nulla cupido esse deberet, cæco quasi impetu, (quemadmodum & Amoris Deum finxit superstitiosa antiquitas) perficiatur. Et quamvis in personas prudentes, & qui habent, unde honeste vivere possunt ejusmodi præcipitatio, inò intemperia, cadere non videantur: hoc tamen nonnunquam fallit, cum qualibet persona bonam eandemque de aliis foveat opinionem, sicque sæpius decipiatur, dum credit; Bónos inter viros adhuc bene agere: quæ fuit Romanorum in chirographis formula, Briffonius *de Formul. lib. 6. fol. 600.* Principum quidem matrimonia sub exceptione nobis veniunt, quippe quæ ut plurimum ab ignotis contrahuntur & quibus ratio, ut vocant, Status plerumque notior est, quam persona, per quam hæc Status ratio stabilieat. Horum tamen Principum mores non adeo facile ignoti esse queunt, dum in plurimorum conspectum, qui ipsos ceu umbra corpus comitantur, veniant; & in excelsis positi, omnium oculis atque judiciis expositi sint. Nec forma seu facies utrorumque poterit esse ignota, dum ante fancienda ejusmodi matrimonia pictores mutuas, easque subtilissimas exercent manus; Sæpius tamen in eorum iconibus exprimendis, oculorum assensum, & Principis favorem sectantes, quam veritatis gloriam ambientes: hinc non mirandum, quod Principes adulatorio tali icone delusi & pro Junone nubem amplexi, novas suas conjuges dimiserint. Exemplum nobis suppeditat *Henricus VIII.* Angliæ Rex, qui Annam Clivensem, sponsam sibi ignotam, inter alias & hac de causa virginem & intactam remisit, quod Icon pictus exemplari vivo non os humerosque similis esset. Hübner, *Histor. von Engelland rom. 2. pag. 824.* Privatorum autem matrimonia, quamvis ita manu Regia dissolvi nequeant, sæpius tamen tacite dissolvuntur, cum conjux conjugem deserit, cujus jam exempla adducere nimis prolixum esset. Unicum adhuc superaddemus casum, qui non mediocre lumen huic materiæ præfert, ex *Tuldeno ad vit. C. de Nupt. n. 4.* qui refert, quendam ignotum, sub studio-rum specie circumforaneum illecebris suis nobilem pellexisse puellam, ut parentum custodiam elapsa ad ipsum confugisset. Hæc poss



post nuptias, imò & partum, strophas impostoris sentiens, ad parentes rediit, qui putativo tali viro in probanda origine sua & conditione tergiversanti filiam restituere denegarunt: ex hoc solo capite, quod penates conditionemque suam adeo pertinaciter celaret: adeò ut non criminum tantum, sed & alius matrimonii aut hæreseos suspicio exinde nasceretur.

§. 6.

Quaritur denique, an infantes expositi, quorum ut parentes, sic & ipsi liberi ut plurimum ignoti, legitimi an verò spurii præsumantur? & R. Eos præsumendos in dubio esse legitimos: ex eo quod in meliorem partem præsumendum sit; cum non tantum spurii sed & legitime nati exponi soleant; idque Gabr. Palæottus de Noth. & Spur. cap. 63. summorum virorum exemplis, Moylis, Cyri, Oedipi, Paridis confirmat, & firmissimis rationibus defendit: à quo in diversum abit, hancque sententiam nostris moribus atque terris, non convenientem asserit Matthæ. *comment. ad l. 47. ff. tit. ult. cap. 2. §. 4.* exque eo Wislenb. *ad ff. lib. 1. D. 4. th. 26.* Sanè, si hæc exponentum liberos pœna ut patriam amittant potestatem, ut vult. *cap. un. X. de infant. expos. cons. l. 16. C. de Nupt.* qui quæso, alii patres hanc incurere poterunt pœnam, quàm legitimi? his enim solis competit jus patriæ potestatis, *arg. §. 12. & ult. Inst. de Nupt.* & Canones expressè volunt, ut ii, quorum generatio non est nota, admittendi nihilominus sint ad agendum pro domibus suis, easque defendendum, *cap. cum Deputati 16. X. de Judiciis.* Porro incidit quæstio: Quis ejusmodi expositum infantem ignotum alere debeat; in qua quæstione decidenda, quot Doctorum capita tot quoque sensus esse dixeris. Alii quippe hoc onus rejiciunt in Ecclesiam, pauperum matrem: alii in Principem vel dominum territorii: alii in eum, cui Jurisdictio inferior concessa: alii in dominum decimarum ejus loci: alii in communitatem; alii denique in hos omnes conjunctim. Vid. Theaur. *dec. Ped. 118. Möller. Semestr. lib. 4. cap. 45. n. 2. & passim.* Et quamvis aliqui horum pro tuenda sua opinione speciosis admodum utantur rationibus, probabilior tamen eorum videtur sententia, qui civitati, pago, vel communitati, ubi infans expositus est, hoc onus propter curam pauperum ipsi commissam, addicunt; prout præjudicio fir-

rub

B 3

mat

mat Sande *dec. Fris. lib. 2. tit. 8. dec. 4.* approbante Willenbachio *ad ff. part. 1. Disp. 49. th. 13.* Si verò Hospitalia extent, ad alendos infantes expositos pauperes destinata, res extra omnem dubitationis aleam posita est. Postquam itaque infanti ignoto alimentis prospectum est, ipsi quoque paucis civilia jura assignanda sunt. Horum autem particeps, & civis sit ejus loci, ubi expositus reperitur. Faber. *in C. lib. VI. tit. 19. def. 20.* Non etiam desunt, qui eos Ordinibus Ecclesiasticis donari posse censent, quos refert Palæotte. *d. tr. cap. 63. n. 3.* in qua sententia corroboranda nec præjudiciis destituuntur, Alexandro V. nimirum, Romano Pontifice, olim in insula Candia exposito: Hübner. *Historie von den Päbsten pag. 142. tom. 3.* Et Urbanò Austriacò Episcopò Gurkenfi: de quo Idem: *Historie von Gurck tom. 8. pag. 292.* Ejusmodi tamen infantes absque dispensatione saltem Episcopi non admittendos, jam verò promotos non removendos putat Cavarrus. *in Clem. si furiosus part. 1. princ. n. 9.* An verò & promovendi in Doctores: vid. Iterum *de Grad. Acad. cap. VII. §. 22.* ubi affirmando concludit. Et si vel maxime (quæ adversariorum tela sunt) plures sint expositi spurii quàm legitimi, consultius tamen certè erit, vel decem spurios in dubio legitimos dicere ac habere, quàm unicum legitime natum eum spurium excludere. *l. ea que 192. §. 1. ff. de Reg. Jur. & arg. l. 5. ff. de Penis.*

## SECTIO II.

§. 1.

**P**erlustratò eò, quod justum est circa personarum ignotarum statum, ipsanos quasi deducit via ad jus rerum; quod duabus Sectionibus commodissimum videtur absolvi posse. Prima erit occupata circa *jus rerum*, quod descendit ex jure *in re*, ex hereditate videlicet, dominio, pignore, servitute ac possessione. Altera verò circa *jus rerum*, quod obligationem saltem *ad rem* inducit, propullulans ex contractu, quasi contractu, delicto & quasi delicto.

§. 2.

Circa hereditatem itaque occupati, optimam nos elegisse putamus methodum, si testatorem in prima quasi acie colloceamus, dum

dum ab hoc jus hereditarium devolvatur in successores. Hic autem si sit homo Barbaræ nationis seu ignotus, & legatum aliquod vel fideicommissum ad pias causas non designata persona reliquerit, quaritur; Quis istud piæ causæ nomine petere possit? Et respondet Imperator Episcopum ejus civitatis, in qua ejusmodi ignotus defunctus est, legatum illud recte consequi posse in *l. 23. §. 3. C. de Episc. & Cler.* Ratio dubitandi in eo est, quod aliàs regulariter Episcopus civitatis, in qua testator primam adspexit lucem in piis causis testamenti executionem habeat *d. l. 28. §. 1.* In hoc autem nostro casu civitas nullò modò investigari, hinc nec ad ejus Episcopum pertinere potest; Et, si vel locus è tenebris eruat, & ad notitiam perveniat, forsan nullus in patria est Episcopus; quia testator vocatur *homo Barbaræ nationis.* Non autem video, quò Palladio Gothofredus sententiam suam tutam præstare possit, quod in *d. §. 1.* non legendum putet; *ex qua testator oritur*, sed: *in qua testator moritur*; & conferat *seq. §. 3.* ubi hoc expressè asseratur. Nam uti dixi, hic in *§. 3.* solus casus est decisis, si patria testatoris ignota sit, eam enim notam existentem & Episcopum habentem, in præjudicium ejus vergeret, si legatorum ejusmodi alius haberet executionem. In dubio enim ejus civitatis pauperibus legasse seu donasse præsumitur quæ ipsi vitam donavit, hinc & ejus loci Episcopo executionem mandasse videtur. Porro quoque testator non debet esse ignotus testibus, qui testamentum subscribunt, *l. 9. C. de Testam. & quemad. testam. & c.* *Recess. Imper. Colon. de ann. 1512. tit. von Testamenten §. Nun die Formb. re. v. Von den Zugen allen.* & ex eo *Carpoz. part. 3. Const. 3. def. 2. n. 7.* Non autem inde inferimus mores vitamque testatoris testibus in conspectu esse debere, sed saltem vultum, oraque quæ gerit: hinc nec cæcus erit testis habilis in testamento. *Finckelthaus. Obs. 1. n. 23.* Colligunt autem *Dd.* hinc, quod paries medius inter testatorem & testes vitiet testamentum. *Brunnem. ad d. l. 9.* quod & sine dubio asserendum erit de pariete, ut vocant, Hispanicò, aliove objectamento v. gr. Culicari quod forsan lectum, si testator agrotet, circumdat: idque propter generalem rationem textus; ut scilicet omnis fraus atque fallacia evitetor, quam in amulatione vocis testatoris sapius factam esse, exempla testantur.

In

In cæteris quidem testator Ignotus cum aliis testatoribus notis patri passu ambulat; si testamentum fecerit, vel alios legitimos heredes reliquerit, ad quos ab intestato hereditas devolvitur; neutro verò horum existente, Fiscus vel Magistratus morum imperium habens, vicem supplebit, & hereditatem sine herede jacentem occupabit. *l. 1. l. 4. C. de bon. vacant.* Quod quidem nec Natura nec Gentium juri repugnat: quamvis plures Imperatorum ex principis mercè politicis in contraria omnia abierint, & ab ignotis in testamento etiam scripti heredes bona repudiarint. Sic Augustus ad eò minimè appetiit hereditates, ut nunquam ex *Ignoti* testamento capere quicquam sustinuerit; sunt verba Suetonii in *Augusto cap. 66.* De Tiberio audi Tacitum *lib. II. Annal. §. 48.* Neque hereditatem, inquit, cujusquam adit, nisi eum amicitia meruisset; *Ignotos*, & aliis infensos, eoque Principem nuncupantes, procul arcebat. Trajanum eò nomine laudat Plinius in *Paneg. pag. m. 349. in fin.* scriberis ab amicis, ab *Ignotis* præteritis. Et denique de Adriano testis est Ælius Spartian. in *Adrian. Cæs. n. 18.* Eum nimirum *Ignotorum* hereditates repudiâsse, nec notorum accepisse, si filios haberent. In tali autem hereditate adeunda requiritur, ut vel nulli heredes super sint, vel si qui adsint, hi tamen planè ignoti sint. De his, ut certior Fiscus fiat, hereditatemque sibi & quietam & justam acquirat, optime ipsi consultum erit, si hujus defuncti mortem factis hebdomadalibus (vulgo *Zeitungen*) inferi curet, quo eo melius ad legitimorum heredum notitiam veniat, quos forsân patriâ proficiscens reliquit. Vid. Feltman. de *Cadav. inspic. cap. XV. n. 2.* & præferim *n. 5. ubi latius de bonis ignotorum mortuorum, cui cedant.* Sed occasione hujus quaritur; An Academia quoque in bona *Ignoti* Studiosi, intestatò mortui succedat? Et omnino affirmandum putamus eum Struv. *Execr. 28. th. 42.* Literatos enim militibus per omnia fere æquiparat, imò eos literatis postponit *l. 14. C. de Advoc. div. Judicii.* De Militibus autem *l. 2. C. de hered. Decur. Navic. &c.* disponit: quod si quis eorum, qui sub Legione, vel sub uno Vexillo, vel Cuneo militabant, sine heredibus defunctus, ad Vexillationem deveniant bona: quid obstat itaque, quò minus idem de Studiosis asseramus. Academia quoque corpus æque privilegiatum, ac eadem pia causa est,

est, qualis Monasterium, quod tamen monacho ignoto intestato mortuo succedit. *l. 20. C. de Episc. & Cler.* Ubi tamen jungenda Authentica. Hæc quidem de Academia, quæ jure fisci non dotata est; sin autem ea juribus fisci fruatur, ut Illustris Academia nostra Patria, res extra controversiam est. Et quamvis jure Codicis per *l. 1. C. de bon. vacant.* Civitatibus ac Universitatibus privilegia, quæ prætendebant, nihil proderant, id tamen moribus mutatum asserit Brunnem. *ad. d. l. 1.* dummodò Princeps motu proprio id privilegium concesserit. Ad alia autem Collegia hæc fisci jura extendenda non erunt, quæ non ab Impp. expressa sunt, & ad quæ per legitimam consequentiam applicari nequeunt; quia aliàs ea frustra expressissent, si hæc omnibus tributa voluissent. Brunnem. *ad tit. C. de Hæred. Decur. Navic. &c. n. 5. infra.* Hinc & hospitibus jus peregrinis Ignotis succedendi, non obstante statuto aliquò aut consuetudine seu privilegio ademptum per *Auth. omnes peregrini. C. Commun. de success.* Hæc quidem si testatori alii ignoti sint, sin verò sibi ipsi ignotus seu incertus sit, in quo videlicet statu vivat, tunc videnda *l. 34. pr. ff. de acq. vel omitt. hered.*

§. 3.

Testatore autem perlustrato sequitur persona in testamento primaria, quæ omiſſa testamentum nullum effectum habet, & quæ testamentum demonstrat *l. 14. C. de Testam.* Heres nimirum ejusve institutio. In hoc verò non attenditur an Ignotus sit nec ne *l. 11. C. de hæred. Instit. l. 46. ff. Eod. §. ult. Inst. Eod.* Nec etiam distinguendum erit, an sit moribus, an facie tantum ignotus; vox enim *penitus: d. l. 11.* omnes involvit casus. Et quamvis hæc ignoti institutio raro contingere videatur, tamen si hoc accidat, nihil obstabit, quò minus ea valuerit. Minor quidem dubitandi ratio est, circa heredem quoad faciem ignotum institutum, poterit enim is vel famâ vel virtutibus notus esse, quibus testator commotus fuit, ad heredem eum scribendum Brunnem. *ad d. l. 11. n. 2.* Aliàs cæcus non posset testari, quippe cui omnes quos instituit heredes famâ saltem & qualitatibus sunt noti, vultu verò ignoti: quod tamen certis adhibitis cautelis ipsi permittit *l. 8. C. qui testam. fac. poss. vid. Faber, in Cod. lib. VI. tit. 5. def. 28.* Imò,

fic ne quidem fratrisabfentes vel forfan peregrinantes liberi non-  
 dum vili possent institui, de quibus tamen disponit *d. §. fin.*  
*Inst. de Hered. instit.* Sufficit itaque, si modo ex sanguinis aut  
 affinitatis vinculo, aliisque qualitatibus & signis, quibus ab aliò  
 distingui potest, ejusmodi Ignotus à testatore designatus sit. Vid.  
 Excell. Voetium Antecessorem Lugdunensem celeberrimum in  
*Comment. ad ff. tit. de Hered. instit. n. 2. in pr.* Quædam au-  
 tem personæ tantum sunt ab initio ignotæ; debent tamen ex  
 postfacto, & tractu temporis notescere; veluti si testator di-  
 xerit: *Qui primus ad funus meum venerit, heres esto.* Et quæ-  
 ritur an hæc institutio valeat? quod de jure Civili veteri negat-  
 ur per *l. 9. §. 9. ff. de hered. instit. §. 25. de Leg. confirmante hanc le-*  
*gem prudentum legum coryphæo, Ulpiano ( ut vocatur in l. 13.*  
*§. 2. ff. de Excus. iur. ) in Corpore suo tit. 22. §. 4. subjunctâ*  
*hâc ratione; quoniam certum consilium testantis esse debeat.*  
 Sed jure novo hoc mutatum, & statutum; ignotam ejusmodi  
 personam heredem scribi posse, modo ex aliquo eventu nota fie-  
 ri possit. *§. 27. Inst. de Legat. IV. t. r. C. de Incertis pers.* ( quamvis  
 hunc ceu suppositum & non authenticum rejiciant Cujac. *ad h. r.*  
 Richter. *dec. 37.* & Brunnem. *ad h. r.* ) praxin vide apud Brun-  
 nem. *ad d. l. 11. n. 4.* Testibus verò heres institutus pro diver-  
 sitate testamentorum & notus esse debet, & ignotus esse potest.  
 In testamento solenni scripto Jure Civili non requiritur ut sit  
 notus *l. 29. C. de Testam. &c.* De moribus quoque vide Bru-  
 nem. *ad d. l. 29. in fin.* Quotidie enim oculos incurruntesta-  
 menta, à testatore propria manu conscripta ejusque sigillo obsi-  
 gnata, quibus à testatore testibus oblatis, sufficit, si dicat, se in  
 schedis hisce contentam habere ultimam voluntatem; nec requi-  
 ritur ut nomen heredis testibus exprimat, quod ob rationes ur-  
 gentes forsan, testibus occultum vult. Conf. Struv. *Ex. 32. th. 20.*  
 In testamento verò solenni nuncupativo & de Jure Civili & de  
 Moribus requiritur, ut testibus heres sit notus. Struv. *d. Exerc.*  
*32. th. 15.* Testator enim nomen heredis vivâ voce debet pro-  
 ferre *l. 29. C. de Testament. &c.* Et testes post mortem testatoris  
 de nuncupativo testamento & dicto herede juratò debent depo-  
 nere, ut de eo constet. Struv. *d. l.* quod de Ignoto nunquam facere  
 poterunt.

Personis sine quibus testamentum subsistere nequit, excus-  
sus, sequuntur nunc alia; Et primo quidem Legatarius, qui est  
ignotus, non tamen ex hoc capite rejiciendus, arg. *l. 11. C. de Hered.  
Inst.* Cui enim totam hereditatem relinquere possum, quis ei par-  
ticulam hereditatis legare vetat? quod & praxis nuper nobis con-  
firmavit exemplo, quod facti hebdomadales nobis retulerunt  
de Testatrice quadam virgine Anglica, quæ incluto Heroi EU-  
GENIO, Sabaudia Duci insigne legatum reliquerat, quem  
quidem de facie unquam vidisse credibile non est, cujus tamen  
virtutes, & immortalia de bono publico merita fama ebuccinavit

Qua sol reducens quaque deponens diem

Binos propinqua tingit Æthiopas face.

Porro Ignotus potest esse executor testamenti: quem quidem ca-  
sum cum LL. omiserint, nos ex Plinii secundi *libr. 10. Epist. 79* sup-  
plebimus. Hic Plinius a quodam, Julius Largus, dicto, qui sibi  
nunquam visus, ac ne auditus quidem, rogatus, ut perceptis quin-  
quaginta millibus nummum eam pecuniae vim in honorem Tra-  
jani dispensaret, & hinc Imperatorem consulit; cujus rescripti te-  
nor *seq. Epist. 80.* legendus est: ubi testamenti executionem & mi-  
nisterium Plinio demandatum confirmat, si Julius Largus fidem  
Plinii, quasi ipsum bene nosset, elegerit. Quod eo magis proce-  
dit, si pia causa, vel Principi (prout nostro casu) quid sit legatum,  
tunc enim quilibet, sive testatori notus, sive ignotus fuerit, dese-  
rendi facultatem habet, nec delatoris nomen suspicionemque de-  
bet formidare, cum veritatem ad publicas aures lucemque produ-  
xerit. *l. 28. §. ult. C. de Episc. & Cler. conf. Brunnem. add. l.  
n. 7. & seqq.*

§. 5.

In domino transferendo duplex est personarum respectus;  
consideranda quippe venit & persona dantis seu transferentis, &  
persona accipientis seu acquirentis, dominium. Utraque perso-  
na vel potest vel debet esse ignota. Potest esse ignota in legitime  
transferendo dominio, quando solus acceptandi consensus est ne-  
cessarius: ut in donatione, qua quis dominium utique transferre  
potest in ignotum *l. 29. C. de Donat.* Dum enim a parte dona-

tarii sola acceptatio sufficit. *l. 55. ff. de Obl. & Act. l. 19. §. 2. ff. de Donat.* Quis unquam negabit, eam ab ignoto fieri & in ignotum conferri posse? Nec hic distinguiamus inter Ignotum quoad faciem, vel quoad mores & vitam, & nomen. Exceptio tamen erit, si placuerit donationem fieri debere in scriptis; in quibus & donantis & donatarii nomen exprimendum esse præcipit *l. 25. C. de Donat.* quæ lex propterea non obstat. Quod idem de donationibus, quæ quingentos solidos excedunt, dicendum erit, quippe quæ actis intervenientibus, donantis & donatarii nominibus protocollo insinuatis perficiuntur. *l. 36. §. ult. C. de Donat.* Conf. Brunnem. *ad l. 27. C. d. t.* In donationibus autem ejusmodi, quæ in ignotum conferuntur, cautè erit procedendum, ut subita largitionis comitem, penitentiam caveamus. Porrò quando rem pro derelicto habitam nostram facimus, parum nobis proderit, si inquiramus, an dominus ejus derelinquens sit notus, an verò ignotus, utroque enim casu rem istam nostram facere possumus *l. 4. ff. pro derelict.* dummodò animus derelinquentis domini non ignotus sit. *l. 2. pr. ff. eod.* Debet autem dominus transferens necessariò ignotus esse, in acquirendo thesauri dominio. Si enim dominus thesauri non sit ignotus frustra quis eum vindicat, quia tunc non est res vacans, sed habet dominum. Quamvis autem thesaurus semper revera habeat dominum; ex eo tamen, quod ignotus est, jura præsumunt nullum habere. Dn. Vultej *in Prud. Rom. lib. 1. c. 65. §. qua rerum &c.* hinc & definitur thesaurus *in l. 1. C. de Theaur.* condita ab Ignotis dominis tempore vetustiori mobilia. Et hæc veri domini ignorantia propria causa est, cur hòc depositi genere dominium mutetur, teste Paulo *in l. 31. §. 1. ff. de acq. rev. dom.* Proinde si de deponente saltem ex præsumtionibus constare possit, non est thesaurus, nec acquiritur inventori, sed totus domino ejusve heredibus est restituendus; ejusque furtum fieri potest: *d. l. 31. §. 1.* ibique Brunnem. Conf. Struv. *Exerc. 41. th. 53.* Non minus quoque Dominus rerum levandæ navis causâ, in naufragio abjectarum ignotus esse debet, ut Fisci manus inde legitimo modo gravior redire possit. Jubet hoc æquitas naturalis, approbat



bat Gentium consensus; confirmat insuper lex civilis Romana per l. 1. C. de Naufrag. Imperator Frideric. *Auth. Navigia C. de Furt.* & post hunc Carolus V. in *Const. crim. art. 218* Intolerabilis itaque est Fisci aviditas & rapacitas pelago major, si bonis, quibus unda pepercit, vel potius rapinis se implere conetur; dum dominis veris res eripit. Hinc nullô jure defendi possunt leges & consuetudines Hispaniæ & Galliæ teste Brunnem. ad l. 1. C. de Naufragiis. Ut & statuta quarundam civitatum maritimarum particularia, ut bona naufragorum fisco cedant; & consuetudines, dum publicis precationibus Deum rogent; **Er wolke doch den strand segnen.** Hec quidem eo de calu, si de domino vero constet, isque velit res suas repetere: Si verò dominus ignotus sit, Fiscus bona, ceu alias res vacantes sibi vindicare poterit; non tamen nimis arctô temporis lapsu præcludendus & repellendus verus dominus, rem suam vindicans. Hinc nec approbanda Batavorum lex, quæ teste Matthæo de crim. ad tit. ff. de furt. cap. IV. in fin. jacta in mare levandæ navis gratiâ intra annum & sex hebdomadas tollere jubet, & ni factum fuerit fisco addicit. Denique verum dominum oportet esse ignotum, si inventori res inventa cedere debeat, qui tamen, ut securus sit, libellô publicè propositô, vel voce præconis testari debet, & invenisse se, & redditurum ei, qui desideravit. l. 43. §. 8. ff. de Furt. Non itaque comparente verò domino & ignoto existente, dominium inventori addicendum erit. arg. l. fin. C. de Rei Vind. Non verò piæ cuidam causæ: Nec oblit. Numer. cap. V. v. 8. *Auth. omnes peregrini*, verb. *vel in piæ causas* &c. C. *Commun. de success.* vid. Struv. *Exerc. 41. th. 60.* Wislenbach, p. 2. *Disp. 29. th. 14.* §. 6.

Ignotus præterea semper est, & debet esse is, qui missilia colligendo suafacit. Hæc enim sola missilium proprietates est, quod spargantur in vulgus, & transferatur dominium in incertos; dum missilia spargens ignorat, quod eorum quisque excepturus sit, vid. §. 46. *Instit. de rer. div.* Et hõc caractere distinguuntur missilia à donatione, quippe quæ in certam quandam personam confertur. Hinc pecunia, quæ in pompa triumphali viritim distribuebatur,

bnebatur, missilium nomine non venit. Vid. Rosin, *Antiq. Rom. lib. X. cap. 29. in med.* Missilia autem spargere olim usitatissimum erat, adeo ut non solum Imperatores, sed & Praetores & Consules populi aurem & auram hisce captabant. Quibus Imp. Valent. & Mart. in *l. 2. C. de Consul. & non sparg. ab his &c.* huic perpendi modum interdixere: quam tamen legem Imperator Justin. in *Nov. 105. cap. 1. & 2.* correxit, & facultatem spargendi missilia iis in septem Consulium processibus tantum concessit; hac tamen lege, ne aurum spargerent, sed argentum; imò nec hoc nummis, majoris alicujus, sed saltem medii characteris & ponderis. Hodie verò rarò, nec nisi in magnis Principum solemnitatibus ejusmodi missilia sparguntur. Denique notandum, quod ex omnibus contractibus, ad quorum commercia ignoti admittuntur dominium quoque acquirere possint; quos sequenti *Sectione III.* videbimus, ne extra cancellos vagari videamur.

## §. 7.

Reliquos Juris in re species unico *haec §.* includamus, cum haec paucissimas, imò nullas circa Jus ignotorum controversias, quantum meae quidem scientiae relictum est, involvant. Jus enim hypothecarium creditori salvum manere nullus unquam negavit, etsi vel penitus ignotus bona possideat, dum jus mihi semel quaesitum soli rei inhaereat, & sic personam inquirere superfluum esset. *l. 12. C. de distract. pign.* In servitute porro constituta eadem ratio locum habebit, quò minus aliquid difficultatis atque controversiae circa personam ignoti superfit, vid. *l. 10. §. 1. ff. si serv. vind. conf. l. 1. 20. §. 1. ff. de acq. rer. dom.* Nec aliam quoque causam allegare possumus, quod circa possessionem nullae de ignotis controversiae occurrant. Sequitur ergo

## SECTIONIS III.

## §. 1.

**A**bsolutis igitur quinque speciebus Juris in re, pronò quasi alveò labimur ad Jus ad rem, perlustraturi contractus, quasi contractus, delicta & quasi delicta; quatenus

nus nimirum aliquid ex his nostrae materiae lucem circumfundere possit. Antecedenter tamen de pactis monendum, quod ea ignoto nullò modò profint. *l. 24. C. de pactis.* Si scilicet probari possit aliquem intuitu & respectu personae solius paciscentis tale pactum iniisse, vid. Gothofr. *ad d. l. 24. lit. f.* In genere quoque in ipso hujus sectionis limine notandum, multa quidem licere contrahentibus cum ignotis nec conventiones & commercia cum illis simpliciter interdicta esse, sed quia respectu periculi plena est, & fraudibus lata patet area prudentissime exigunt Juranostra, ut quis contrahentis conditionem pravià diligentius inquisitione percontetur, & ni hoc (in illis scilicet casibus, ubi quis potest, & leges jubent) faciat, & ad syrtes ejusmodi impulsa navis pereat, postea nec conqueri nec in judicio naufragium exponere possit, sed sibi imputandum sit, quod non melius suis periculis prospexerit. Huc enim collimat *l. 19. ff. de Reg. Jur.* Quod is, qui cum alio contrahit, vel sit, vel esse debeat non ignarus ejus conditionis. Miserum itaque & plane ficulnum, ut ajunt, praesidium inde querit Wesenbec. *in paratit. ff. de rit. nupt. n. 8.* in defendendo matrimonio, quod ignorante sponsò cum vitiata contractum est, vid. Wisenbach. *ad d. l. 19. n. 4.*

§. 2.

Familiam itaque inter contractus ducat mutuuum, periculis, nisi persona probe inquiratur, plenissimum. In hoc potest quidem creditor, ignotum debitorem sibi obligare, & debitor ignotus mutuuum a creditore acceptum, suum facere, cum utrique consensus & traditionis capaces sint, ex quibus mutuuum perfectum efficitur. *pr. Inst. quib. mod. re contr. obl. l. 2. §. 2. & 3. ff. de Reb. cred. §. c.* Sed an creditor ex ignoti debito locupletior fiat, & an sibi unquam de recipienda pecunia cogitandum, quum ad hanc Maleam deflexerit, id ipsius experientiae & periculo relinquimus. Certè in alia omnia discessit mercator ille apud Plautum, quem Leonida nullis persuasionibus inducere poterat, ut sibi argentum credat ignoto, *Lupus enim est homo homini; non homo; quom qualis sit non novit:* sunt verba ejus in *Asinar. Act. 2. Sc. 4. v. 86. &c.* Potest itaque quis cum ignoto contrahere, sed cauti homini ser-  
minos

minus excedit, imò certissimum incurrit discrimen, dum non tantum potest in eos incidere, quorum mores non habet perspicuos, ex quibus saltem nominare liceat administratores Ecclesie & Civitatis, quisi moribus sint deperditis, & pecuniam Ecclesie aut Civitatis nomine susceptam earumque emolumentis destinatam, in proprios usus convertant, creditori nullò modò obligatur Ecclesia nec Civitas. *Nov. 120. cap. 6. §. 3. Auth. hoc fuit per ceterum. in fin. C. de Sacros. Eccl. & l. 27. ff. de Reb. Crea. & c.* Quibus adjungimus servum domesticum, absente domino pecuniam mutuam, ut frumenta aliamve rem in familiae usum emat. Si enim hujus servi mores creditori ignoti sint, & ille pecuniam luxu consumat frustra erit ejus crediti repetitio. *l. 3. §. 9. ff. de in rem vers. nisi pro rata forte mercedis, quam servo debet §. 4. Inst. quod cum eo qui in al. pot. §. 10. & 36. l. de Action Conf. Struv. Exerc. 20. th. 72.* Sed etiam incurrire potest eos, quorum atas & patria, cui subiecti sunt, potestas creditorem infecurum reddit. *Ex his exemplum erit, ignotus filiusfamil. quippe qui ex pecunia mutuo data luxus materiam quarere potest, imò plerumq; solet. l. 1. ad Ser. Maced. verb. sape peccandi & c.* Hinc si eà pecunià Baccho Venericò litatum sit, objectò exceptionis Scii Macedoniani clypeò repetitio denegabitur *l. 1. & 9. ff. d. tit. conf. Hahn ad Wesemb. d. tit. num. III. & V. Ubi aurea Rudolphi II. Constitutio ann. 1589. promulgata, inserta est. Ex illis minor ignotus, quem lubrica atas l. 1. ff. de Minor. lubrica anguilla assimilat, quæ velocissimè elabendo captatores suos eludit. Nisi enim locupletior factus sit ex mutuo, quod probare creditor partes erunt, in integrum restituitur l. 7. §. 1. & 2. ff. de Minor. Quamvis si hæc omnia creditor perscrutetur, caput tamen totius rei omittat, nec debitoris vires patrimonii exploret & pauperem offendant in cæteris cautelis parum praesidii erit; quas singulas persequi instituti ratio non permittit. Hæc itaque sufficiant, ut creditor personam debitoris principalis inquirat; paucis nunc addamus de persona debitoris accessorii nempe fidejussoris: hujus enim notitiam quoque creditor habere debet, ne sibi personam velit obligare, quam vel, jura incapacem reputant, ut Milites *l. 31. C. de locat. & cond.* etiamnum hodiè, si credamus*

damus Dn. Baroni à Lyncker, *Anal. ad Struv. S. 7. C. Ex. 47. th. 37.* Clericos: *Nov. 123. cap. VI. Confer. Wittenbach. Disp. ad ff. de fidei. & mand. n. 9.* Dn. Stryck, ad Brunnem, *7us Eccl. lib. 2. cap. 15. §. 32.* vid. tamen de moribus, Lyncker, *loc. cit.* Filiosfam. quippe quibus beneficium Scti Maced. datur si subsit color quasi-  
*tus l. 7. pr. & §. 1. ff. de Scto Maced.* ubi Brunnem. Vel personæ sint, quæ quidem non incapaces quoad conditionem, creditorem tamen non satis securum reddant, ut minores, pauperes & privilegiati fori habentes. *l. 3. §. ult. ff. ut in poss. legat. l. 2. pr. ff. qui satisd. cog. Struv. Exerc. 47. th. 37.* Quemadmodum autem creditor ignotum fideiussorem accipiens, periculum potest incur-  
 rere; sic multò magis fideiussori, qui se pro ignoto obligat, stulti-  
 tia nota inurenda erit; in hunc enim, debitore non solvendo exi-  
 stente, ejusque bonis excusis, tota res redit. *Nov. 4. cap. 1. Auth. præsent. & c. C. de fideiuss. & mand.* ut itaque ejus inquisitio in bo-  
 na, moresque debitoris non superflua sed summè necessaria sit. Circa usuras adhuc notandum erit, quod ex in mutuo ignoto dan-  
 dō, majores solito esse possint, nec quis usurarii poenam incur-  
 rat, si à penitus ignoto vel centesimas recipiat: Et hoc quidem ar-  
 gumento scœnoris nautici, quod etiam centesimas usuras permit-  
 tit. *Nov. 110. Junct. l. 26. §. 1. C. de Usuris.* Hujus enim scœno-  
 ris nautici causa ac fundamentum nullum aliud est, quam peri-  
 culum quod quis suscipit *l. 1. ff. de Fœn. Naut.* Cùm itaque  
 ignoto mutuans certissimum incurrere possit periculum, imò  
 stultitiæ notam vix effugere queat, dum ignoto, qui triplicem  
 usuram præstare paratus circumit, & fatuos queris (si Juvenalis  
 verba in *Sat. IX. v. 7.* huc trahenda) pecuniam credit, quis ne-  
 gabit, eum in periculi (quin & stultitiæ) hujus pretium usuras  
 solito majores consequi posse? Imò scœnoris nautici ad alios si-  
 miles casus, periculo obnoxios, extensio permittitur in *l. 5. pr. ff. de Naut. Fœn.* ubi Brunnem. videndus. Quamvis hanc extensio-  
 nem quoad eum, qui sine pignore vel fideiussore, sed nudò chiro-  
 grapho accepto mutuum dedit, merito rejiciat Tabor. *Rel. Ar-  
 gent. penult. n. 10.* Me tamen quod attinet, ex ista massa escam  
 plane non petam, sed malim vel usuras solito minores ab homi-  
 ne mihi noto, sorte seu credito securò recipere, quàm præpostere

ra pariter acquirere vel tantum sperare vitium, & perdere gemmas, seu, quod idem est, hominis ignoti fidei forem cum usuris committere.

## §. 3.

In deposito personarum à parte deponentis tum à parte depositarii sollicitè investiganda est; potest enim deponens ignotum tradere, ex qua damnnum maximum & periculum depositario impendat; ad cuius quidem damni reparationem depositario actio contraria datur. *l. 5. pr. l. 12. pr. l. 23. ff. Depos.* Qualis autem deponente ignoto periculi explicatio speranda, quæ damni persecutio intendenda? imo ne quidem hoc casu impensas in depositum factas, ejusque æstimationem superantes, poterit consecui. Unde memini, depositario cuidam os oblitum esse, cui ignotus cistam nummis, ut dicebat, repletam, singulari studio custodiendam dedit, impensas sanè se recusurum promittens. Depositarius maneri suo & promissio satisfacturus, non solum loco securo cistam credidit, sed & insuper custodes certa mercede conductos adhibuit. Deponente verò ultra promissum revertendi tempus moras necente, sibi que suspecto, cistam Magistratus auctoritate referavit; sed spe & expensis delusus, nihil pondus iners invenit, lapides vimirum ponderosissimos. Imò ad evitandum periculum scio quendam adeo tantum atque sollicitum fuisse, ut dolia pulvere nitrato repleta, ab ignoto ea transvehente ad custodiendum sibi per breve tempus oblata, non sine ratione recusaverit. Persona porrò depositarii nequaquam deponenti debet esse ignota, qualem nimirum diligentiam in rebus propriis custodiendis impendat. Præstat quidem depositarius regulariter dolum & latam culpam *l. 5. §. 2. ff. Commodati l. 23. de Reg. Jur. Struv. Ex. 21. th. 37.* Si verò ignoto in rebus propriis parum diligenti suam rem custodiendam tradiderit, negligentie nomine non poterit conqueri, & depositarius, etiamsi rem negliger custoditam amiserit securus est: sunt verba legis *l. 5. §. 5. ff. de obl. & act.* si itaque ignoto arcam nummis repletam commendaverit, sibi imputabit, si postea vel pro thesauro suo carbonem reperiat, vel in ejus arca detur planè vacuum, quod tamen rerum natura alias non admittit. In his quidem casibus inter ignotos depositi-

depositum subsistere potest: altera verò depositionis species, quam *sequestrationem honestæ* alicujus puella vel mulieris vocant, inter ignotos plane fieri nequit; cum probam atque honestam matronam requirant *cap. cum locum &c. 14. X. de Sponsal. cap. 8. X. de Restit. Spol.* Unde & sententiam in puncto sequestri Cameralem his verbis conceptam refert Gailius *lib. 1. Obs. 112. n. 15.* in causa &c. pronunciamus & decernimus, quod dicta Sabina apud *honestam, celebrem & insignem matronam*, ex utriusque partis voluntate inter quatuor septimanas proximas eligendam sequestrari debeat. Imò *l. 3. §. fin. ff. de Exhib. & auc. lib.* describit foeminam ad sequestrum recipiendum habilem, *matrem familias i. e. notæ auctoritatis foeminam.* Necessè itaque est, ut Judices in ejusmodi sequestro custodiendo eandem adhibeant diligentiam, qualem olim Juno impendisse dicitur in seligendo quodam, cui centum luminibus cinctum caput esset, nempe Argo, cui pellicem suam custodiendam tradidit, referente s. fabulante Ovid. *Metam. lib. 1. v. 625.* cujus tamen oculi per incuriam sopiti, justissimum in pavonis cauda receptaculum nacti sunt.

## §. 4.

In commodato, quippe quod audit gratuita rei alicujus ad certum usum concessio, ejusque usu finito in specie restitutio, arg. *l. 1. l. 17. §. 3. ff. Commod. vel contr.* nullus quidem ab utraque parte præsumendus esset dolus, si adhuc aurea illa ætas flo-  
reret, quæ sponte sua sine lege fidem rectumque colebat, nec ingratus ullus existeret, cui res gratis concessa; nisi plurimæ de commodato lætæ leges, & ex iis deductæ cautelæ huic præsumptioni refragentur, seque in contrarium accingant. Ex his cautelis non postrema erit, ut commodans inquirat personam & facultates commodatarii, ne ea sibi ignota sint. Quamvis enim res aliqua plerumque amicis commodato dari consueverit: Sub amici tamen nomine & larva sæpe stello insidias struere potest, cujus persona & opes, si non probè fuerint indagatæ, inanis commodanti relinquitur actio: Unde si quis amico leviter noto pecuniam ad ostentationem commodaverit vid. *l. 3. §. 6. ff. de off. iur.* hic verò pecuniam dilapidet, nec solvendo sit, & ignotis pecuniae

cuniz possessoribus, nulla erit ejus repetitio. Potest & porro commodans incautus incidere in personam pupilli, in quem nulla datur commodati actio *l. 1. §. 2. ff. d. r. nisi in quantum pupillus locupletior factus. l. 3. pr. ff. Eod.* Quam cautelam ut quilibet de commodatarii persona sollicitus sit, optimè exprimit Jus Lubeccense *lib. 3. tit. 2. art. 2.* verbis *Ein jeglicher sehe wohl zu wem er das seine ausleyhe und vertraue.* Hoc enim Jure, ut & veteri Saxonico rei vindicatio denegatur contra tertium commodati possessorem, in quem commodatarius id alienavit: quem *art. 2. Mevius ibid. n. 7. 8.* exinde illustrat, quod quilibet cō debitore contentus esse debeat, quem sua voluntate quis accepit *l. 10. §. 1. qui satisd. cog.* Et quod suæ facilitati imputare debeat, quod meliorem non elegerit, arg. *l. 1. §. 10. de Separat.* Imò quod nec damnum sentire intelligatur quod quis sua culpa sentit. *l. 203. ff. de Reg. Jur.* De moribus tamen vid. Hahn ad *Wcf. tit. commod. n. 7. Dn. Stryck Us. mod. tit. de Rei vind. §. 7. & 8.*

§. 5.

Subjungimus commodato nunc quartam contractuum realium speciem nempe pignus, seu contractum pignoratitium, in quo, cum plus sit cautionis in re, quam in persona. *l. 25. ff. de Reg. Jur.* exiguus quoque crit personarum respectus, Sive enim ab ignoto live à noto pignus creditori tradatur, nihil intercrit, si modo pignoris conditio non ignota sit; eā enim ignotā, facile creditori contingere poterit lætio, si forsan rem vitiosam vel alienam debitor pignori dederit: Tunc enim personæ notitia utique necessaria erit ut pignore magis idoneo securitatem talem sibi præstet, quo aliorum creditorum naufragia tutus è portu intruere possit. Ad quod quidem perfequendum sibi actionem pignoratitiam contrariam dari, nemo negabit. Vid. *l. 1. §. ult. l. 36. pr. ff. de pign. act. vel contr.* Conf. *Struv. Ex. 19. th. 50. 51.* Et quamvis in Jure divino Dei præceptum sit, ne quis proximi vestem, pignori acceptam, retineat, dum solinclinarit. *Exod. 22. vers. 26.* exceptio tamen videtur esse in eo, qui pro ignoto vestem pignori opposuit. *Proverb. 20. vers. 16.* Si modo Lutherus accuratum interpretem egit.

§. 6.



Ordo præscriptus nunc tangit contractum verbalem & literarium. IN ILLO personarum præsentia & mutua invicem interrogatio & subsequens responsio *l. 1. pr. ff. de verb. obl.* ignota persona respectum videtur tollere, adeò ut inter absentes nulla firma iniri possit stipulatio, nisi per servum suum præsentem *d. l. 1. pr.* Hinc & ferè semper personæ stipulantes sibi invicem faciem notæ sunt: nec etiam aliæ controversiæ quantum nos quidem novimus, circa stipulationem ignoti discutiendæ erunt: Et si quæ occurrant, eæ ex cautelis generaliter ad alios contractus notatis, vitandæ erunt. Unicum adhuc illud adjici meretur, quod apud Sabaudos expressè cautum, ne Notarius inter alios stipulari possit, quàm quos ipse noverit, quique invicem sibi cogniti sint; & si secus faciat, quod ille non tantum pecuniaria multa, aut interdictione officii publici puniri; sed & si dolus malus appareat, ordinaria falsi pœna coerceri possit & debeat: cujus flatuti, utpote pellendis Notariorum fraudibus accommodatissimi, æquitatem defendit Faber in *Cod. lib. 9. tit. 13. def. 2.* (ubi & *ex n. 6.* videbis, quæ apud Sabaudos ordinaria falsi pœna sit) HUNC verò, nempe contractum literarium, sicco quoque possumus percurrere pede, cum ejus fundamentum sit mutuum præsumtum, literis tamen expressum. Dn. Stryck. *de Cant. contr. Sect. 2. cap. 7. §. 1.* Et hinc ea, quæ de mutuo vero circa ignotos supra dicta sunt, hinc in mutuo præsumto non erunt repetenda. Satis itaque de his; & velis remisque pergendum ad contractus consensuales, ex quibus se prima emtionis & venditionis species sistit.

§. 7.

Malam emtionem semper ingratham esse, eò maximè, quod stultitiam domino exprobrare videatur, judicium est optimum Plinii secundi *lib. 1. Epist. 24.* Nec proinde tamen homines cautius mercari discunt ex præcepto *l. 2. C. de furt.* Dum plurimi eorum seram sed certam stultitiæ suæ pœnitentiam quasi accersentes cum ignotis sibi personis contrahere non dubitent. Non quidem negandum est, contractum emti & venditi a que validè inter ignotos celebrari posse, atque inter notos, quippe qui solò consensu perficitur,

citur, cujus notus pariter atque ignotus capax est. Conf. omnino  
 Cothman. *vol. 2. Re sp. 70. n. 36.* Error quidem obstat huic con-  
 sensui, qui, si circa personam committatur, ut si putes Sejo te ven-  
 dere, cum Cajus sit, vitiat emtionem & venditionem, adeo ut ea  
 nulla sit. *l. 57. ff. de Obl. & act. & arg. l. 9. pr. ff. de Hered. insti.*  
*Struv. Ex. 23. th. 8.* Et hinc exceptio erroris contra ignotum sem-  
 per videtur locum habere. Sed &. Si consensus in certam perso-  
 nam sit expressus, & res certæ alicui & nominatæ personæ venadita,  
 tunc error in persona vitiat contractum, non verò si nihil de per-  
 sona conventum, & res sit, quæ publicè venum exponitur, & de  
 qua hedera figitur. Ut plurimum autem propter defectum evi-  
 ctionis pariter atque alios scopulos res periculi plena est, quando  
 ab ignotis aliquid respectivè emitur aut venditur. Poterit enim  
 quis contrahere cum minore, qui ex conventionē, quam de rebus  
 suis iniit, non adhibito Curatoris consensu non civiliter obligat-  
 tur. *l. 7. §. 1. ff. de Min. vig. quinque ann. Struv. Ex. VI. th. 40.*  
 Imò si minor res immobiles vendere velit, non sufficit Curatoris  
 consensus, sed insuper debet habere decretum Magistratus de alie-  
 nando. *l. 1. C. de reb. min. sin. decr. &c.* Hæc verò minorennitas  
 ex inspectione vultus rarò conspicienda; Cùm enim ex solo aspe-  
 ctu vel Præses poterat falli per *l. 32. ff. de Minor. &c.* Cur non &  
 alius, qui vendentis conditionem non accuratè inquirat. In pro-  
 digio tamen alterius provincie & ignoto scus esse contendit Fa-  
 ber *C. lib. V. tit. 38. def. 1.* nisi minorennitas cum prodigalitate  
 concurrat. Sub venditoris ignoti larva porrò & fur latere potest;  
 à quo, quamvis ignotò, si res ematur, & postea vel ut furtiva, vel  
 ut non venditoris propria à verò domino vindicetur, non solum  
 emtor fulmen *l. 23. C. de Rei vind.* experitur, ut scilicet rem sine  
 pretio restituat. Vid. Brunnem. *ad d. l. 23. n. 1. & ad l. 3. C. Eod.*  
*Struv. Ex. XI. th. 37.* Sed & insuper incurrit suspitionem criminis  
 ex *l. 2. §. 1. C. de Furtis*: quæ dicitur, quod volenti evitare alien-  
 nam bono viro suspitionem, non dicere conveniat se ab ignoto &  
 transeunte rem emisse. Requirit tamen communis Dd. schola, ut  
 alia concurrant adminicula; ut puta, si quis sapius res furtivas per  
 emtionem comparaverit. Brunnem. *ad d. l. 2. n. 6.* vel clam ab  
 ignoto emerit, & rem emtam suppresserit atque celaverit Coth-  
 man.

man. d. Resp. 70. n. 34. vel aliàs sit persona malæ fidei: Idem d. l. n. 39. & 40. Quamvis inter adminicula non recensendum; si quis emat viliori pretio. Cothman. d. l. num. 46. Dissentire tamen videtur. Brunnem. *cit. loc.* Nec si vasa argentea ab aliàs paupere: est hoc nemo persuaserit dissentienti Finckelthausio *Obs. 56. n. 10.* vel anulos ab ignota ancilla transeunte. Cothman. d. l. n. 48. & passim. Ratio autem, cur jura ex emtione rei furtivæ ab ignoto suspicionem furti inducere voluerunt, partim videtur esse, quod hæc extréma furum anchora esse soleat, dum dicunt, se ab ignotis emisse; partim vero quod ipsis obstet præsumtio legis, dum quis notum præsumatur habere eum, cum quo quis contrahit: verba sunt Brunnem. *add. l. 5. n. 6.* optimè tamen limitat hanc suam assertionem *seq. n. 7.* quoad eos, qui in publico mercatu emunt, ubi sæpissimè ab ignotis emitur. Quamvis itaque publica invidina furti suspicionem aboleant, & exceptionem venditoris ignoti concedant; non tamen id operantur, ut res in iis emtæ tamdiu possint retineri, usque dum verus dominus pretium exsolutum restituat, vid. Brunnem. *ad d. l. 2. n. 3.* Struv. *Ex. XI. th. 37.* Sunt quoque quædam res sic comparatæ, ut ignoto planè vendi nequeant. Sic de venenò ignoto non vendendò vid. Brunnem. *ad l. 35. ff. de contr. emt. n. 4.* Struv. *Ex. 23. th. 27.* Conf. *Const. Crim. art. 37. in fin.* Metueadum enim est, ne ejusmodi ignoti venenò abutentes aliorum lumina famio subeant ignoto dare: si verba Senecæ in *Medea act. 3. v. 472.* huc trahenda. Hinc necessaria pariter atque utilissima clausula, quæ juramento, ab Illustribus hujus Universitatis Pharmacopolâ præstando inseritur, hæc verbis: Die Medicin, so Kinder abtreiben/ auch keinen Giff oder giftige Arzneyen / sonderlich Unbekandten verdächtigen Personen um Geld oder Gewinnsuchts willen ohne vorberuust eines Medici nicht verkaufen: doch aber Bekandten unverdächtigen Leuten/ welche was zu ihrer Nothdurfft/ als Arzneyungen vor das Vieh und Verderbung schädlicher giftiger Thier vorndtthen haben/ und antwenden wollen/ mit bescheidenheit/ und so viel zu verantworten/ zukommen lassen. Selbige Personen aber/ und was ihr einem oder andern vor Giff gegeben/ in Ewer Manual umständig eintragen: und davon Obrigkeit oder Gerichtswegen/

gen/ Ihr hierumb befragt würdet/ deßhalben jederezeit aufrichtige  
 und Pflichtmäßige Anzeig thun. Et de lorçeis, leutis variisque  
 armorum generibus non vendendis ignoto seu Barbaro videatur  
*l. 2. C. quæ res export.* Poterit & porro oriri quæstio, an, si quis  
 ignoto rem aliquam vendiderit, eamque tradiderit, fidem de pre-  
 tio habuerit necne? Et omnino dicendum est, quod non habuerit,  
 præeunte nimirum Brunnem: *ad l. 19. ff. de contr. emt. in fin.* cum  
 quis non præsumatur fidem habere ei, cujus fides & conditio sibi  
 ignota est. Dum enim talis venditor ignoto emtori forsan in nun-  
 dinis rem tradit, sperat se statim recepturum pretium, & hinc  
 non videtur fidem de pretio habere; vid *Gail. lib. 2. Obs. 15.* Brun-  
 nem, *ad l. 3. ff. de Pign. act. vel contr. n. 1.* Et hanc sententiam  
 non ita pridem Illustr. Facultas Juridica Patria suo calculo com-  
 probavit in causa B. J. D. v. R. contra V. U. G. Casus erat talis.  
 G. utpote Præco publicus licitando vendebat sejuges. Hos ani-  
 mosè licitabat & ceteros vincebat dictus v. R. vestibus splendidis  
 incedens & Præconi ignotus. Addictis itaque huic à Præcone  
 equis, eos abducit, nec Præconem refragantem habet, quippe qui  
 ex pennis aquilam judicando, & præsens argentum expectando,  
 nolebat in tanta hominum corona reclamare. v. R. etiam postea  
 se subducit, sed in diverforio à Præcone conventus, ipsius arbi-  
 trio atque electioni Præco relinquit, an vel statim numerare, vel  
 idoneis fidejussoribus cavere velit: Eo vero in utroque moras ne-  
 stente, Præco Magistratus auctoritate equos rursus adducit, &  
 denuo licitando alii vendit. Contendebat itaque v. R. Præconem  
 habuisse fidem de pretio ac dominium in se transtulisse; Præco ve-  
 rò allegando se fidem de pretio non habuisse, sed equos sub spe  
 præsentis numerationis tradidisse, suæ causæ justitiam adstrue-  
 bat, & rectè defendebat. Imò ne quidem inter notos fides habi-  
 ta præsumitur, sed ab allegante probanda est. *arg. l. 10. C. de non  
 num. pec. Dn. Stryck. de Caut. contr. Sect. 2. cap. 8. §. 24.* Si ita-  
 que venditores & mercatores nimis faciles sunt in fide de pretio  
 ignotis habendâ, ipsis imputandum erit, si manus vacuas & chartas  
 seu libros debitorum nominibus plenas ex nundinis reportent.  
 Tandem quod in rerum immobilium emtione ferè primum scire  
 expedit, in hoc nostro §. agmen claudit; Vicinjs nimirum ignotus;  
 huic,

hunc, si quis in vendendo prædio celaverit, quem si emtor audivisset, emtorus non esset, teneri venditorem: sunt verba l. 35. §. ult. ff. de contr. emt. Preiis verò jam temporibus Portius Cato censèbat, in agro emendo duo præcipuè esse consideranda, primò salubritatem cœli & fertilitatem soli, & post hæc viam, aquam & VICINUM; ut de eo refert Columell. de re Rust. lib. 1. cap. 3. Nec etiam hanc sententiam infringet, quod quidam regerant; de vicino nihil nobis esse certi, quippe quem nonnunquam mors aliaque nobiscum diversa causè quandoque in melius, quandoque verò in pejus mutant. Sed, quemadmodum sapientis est, fortuitos easus magno animo sustinere, ita dementis est, malam sibi facere fortunam, & nequam vicinum suis sibi nummis parare. Hinc contractui venditionis antiquis Romanorum temporibus scripto, verba hæc inserta erant: *Habet vicinos bonos*, eorumque nomina exprimebantur: cujus nobis elegantissimum exemplar exhibet Dn. Stryck. d. cap. 8. n. 62. ex verustissimo JCTo Tancreto desumptum. Conf. not. doct. Gothofr. ad d. l. 35. Patrocinatur itaque d. lex iis, quibus talis vicinus ignotus est, qui quo vicinior loco adest, eò magis animo abest; cujusque animum malignitas disjungit, quamvis corpora vicinitas conjunxerit.

§. 8.

Emtorem ac venditorem nunc excipit locator, & vice versa conductor, quippe qui usum rei certo quodam constituto pretio vendit; & hinc emtioni dicitur proxima esse locatio & conductio l. 2. ff. locat. In hac, quamvis solo consensu perficiatur, & consensus ab ignoto quoque adhiberi possit, selectus tamen aliquis ac inspectio personarum necessario adhibenda erit; cum non omnes homines unà, ut ajunt, perticè metiendi sint. Et quidem inquisitio utilis erit in operis alicujus conducendis. Si enim quis ignoto fabro automatarario, quem insignem artificem putabat, qui tamen se talem non jactabat, egregium horologium reparandum tradat, sibi imputabit, si postea eam quidem diligentiam, non tamen eas operas ab eo exigere possit, quas alius artifex peritior præstare debuisset: arg. l. 25. §. pen. ff. Locat. Confer. Struv. Ex. 24. rh. 20. Nec etiam in famulis nostris hodiernis conducendis minor cura atque inquisitio requiritur; nisi velimus vestes cum rebus, quas si-

E

mu

m̄lscrinia compilando fugientes abducunt , amittere ; quippe  
 quod damnū ab ipsis vel eorum parentibus, nulla aliā viā conse-  
 qui possumus, quā si non ignoti sint, & hac de re cautum. In  
 rebus porro immobilibus, ut prædiis, conducendis excluditur  
 ignotus, si locatio fiat à Civitate seu ex Curia. In tali enim loca-  
 tione requirit *l. 2. C. de præd. Dec. & c.* ut personarum respectus  
 adsit; nimirum, ut Ditiores præferantur egenis, & ut locator  
 idoneis fidejussoribus cautionem præstet. Impossibile autem est  
 de bonis personæ ignotæ judicare, nec probabile, quod quis fide-  
 m suam pro ignoto idoneâ cautione interponat, vid. Brunne-  
 man. *ad d. l. 2.* Debet quoque locator personam inquirere pro-  
 pter quosdam, qui à conductione repelluntur, quos potest forsan  
 ignorans incurrere. Exemplo sit miles, quem, tum ne occasione  
 rei rusticæ ab armis secedat, tum ne occasione militiæ vicinis gra-  
 vis sit, excludit *l. 31. C. de locat. & cond.* Huic ignoto si quid lo-  
 cat, fundum quidem conductum statim conductor restituere de-  
 bet, locator tamen contra eum habet actionem *l. 50. ff. d. tit.*  
 quod, si sciverit eum esse militem, secus est, Brunnem. *ad d. l. 31.*  
*n. 2. conf. seq. l. 35. C. Eod.* Eodem quoque fulmine Curiales &  
 Decuriones percutit *l. 30. C. de Locat. & Cond.* quam tamen ho-  
 diernis moribus minus congruam rejicit Brunnem. *ibid. n. 4.*  
 quod & de *præc. l. 31.* verum putamus. De Palatinis à condu-  
 ctione rerum Principis privatarum excludendis; vid. *l. un. C.*  
*quib. ad cond. præd. fisc. & c.* Nec aliud dicendum de tutore, ob  
 metum videlicet, ne pupillus & Fiscus, ut Creditores privilegiati,  
 forsan concurrentes collidant, & damnū incurrant, *l. 49. ff. lo-*  
*cat. Cond. Conf. tit. C. Ne tut. vel cur. vectig. cond.* Putat quid-  
 em Grænevvegen *ad d. LL.* eas non amplius in usu esse. Sed ab  
 eo in diversum abit Brunnem. *ad d. l. 49. n. 2.* hâc tamen addi-  
 ta limitatione, nisi præstiterit utrique fidejussores, aut notorium  
 sit, tutorem utrique idoneum esse. Caveant itaque sibi illi, qui-  
 bus administratio prædiorum fiscalium demandata, ne posthabitâ  
 sedulâ inquisitione in personam & bona conducentis, hoc insol-  
 vendo existente, in se ipsos recurrat damnū, quod fiscus aliâs in-  
 currisset, quodque præstandum ipsis minatur *l. 1. C. de locat. præd.*  
*civ. & fisc. & l. 7. C. de fund. parrim.* Quicumque enim nomine  
 publico

publico contrahunt, nec cautionem exigunt, suò id periculò faciunt, sunt verba Brunnem. *ad. d. l. 1. in fin.* Nec obstat, quod in licitatione publicà (quæ in omnibus locationibus prædiorum fiscalium, vel Ecclesiæ necessario adhibenda erat *l. 3. C. de locat. præd. civ. &c.*) nullus adesse videatur personarum respectus, sed saltem summæ seu canonis oblatis ratio habeatur, qui si contententium augmento succreverit, parum referre videtur an ignotus, an verò notus sit, si modo aliorum licitatorum canones, majorem licitando superaverit. Negatur enim in licitatione hæc nullum adesse personarum respectum; præferuntur enim antiqui novis *l. 4. C. d. r.* & inquilini extraneis. Nec etiam licitatio ejusmodi personarum inquisitionem excludit, sed potius includit; & ea publicè facta cautio conducentis sequitur. Si enim prædia talia plurimum licitanti ignoto sine debitâ cautione addicerentur, Fiscus præsentissimum incurreret damnum. Tutius itaque erit ejusmodi officialibus, ut non tam de lucro incerto captando, quam de damno certissimo evitando solliciti sint.

§. 9.

Locationem nunc presò sequitur pede societas, cujus LL. duas constituunt partes universalem nimirum & particularem. Societas universalis, sive omnium bonorum, quamvis non ad eò tritâ frequentetur via, nihilominus tamen primâ occurrit hæc fronte. Hæc itaque ut cautè contrahatur, ignotum omnino respuit socium, & sedulam requirit indagacionem & bonorum, & præcipuè liberorum socii. In hos etenim omnes, si vel viginti haberet, potest parens socius erogaciones sive impensas necessarias facere, & societati imputare, nec potest alter socius eas finitâ societate deducere: veluti si dotem congruam filia det: *arg. l. 52. §. ult. l. 66. ff. pro socio l. 19. ff. de rit. nupt.* Non obstant *l. si socius 81. ff. pro socio.* vel sumtus studiorum filio suppeditet, si socius filium studiis destinaverit, eumque initiari curaverit, *arg. l. 2. C. de alim. præst. l. 6. §. 5. ff. de Carbon. Edict. l. 4. ff. ubi pup. educ. deb. Conf. Wislenbach. disp. ad tit. ff. pro socio ib. 24.* Nec obtinet tantum hæc sententia, cum omnes socii habent liberos, in quos ejusmodi expensæ necessariæ erogandæ, sed & si unus tantum habeat. *arg. d. l. 81. Struv. Ex. 22. ib. 27. in fin. & Brunnem. ad l.*

E 2

73. ff

73. ff. *pro socio*. Sibi itaque imputare debet, qui cum eo, cui per multos liberos fulta domus, & turba lateri circumerrat, societatem universalem contraxit; ut ex Hectore Felicio *de Societ. cap. 26. n. 13.* refert Dn. Stryck. *de Caut. contr. Sect. 2. c. 10. §. 19.* Nec minor etiam circumspectio atque cura in contrahenda societate particulari adhibenda erit, ne scilicet nimis potentem incurrat, & fabulla Phædri *§. l. 1.* de societate leonina, non in animantibus brutis, sed in hominibus ratione præditis representetur. Ad personam autem socii per omnia prædicamenta perlustrandam haud dubiè refertur, ut diligentia & mores ejusdem sibi noti sint. Quamvis enim communi Dd. calculo obtineat, socium socio ultra levem culpam non obligari, vid. Struv. *Ex. 22. hb. 24.* Brunnm. *ad l. 52. ff. pro soc. n. 8.* & juxta hanc regulam in sedulo & diligenti socio exiguum periculum metuendum fit; in negligente tamen longè aliter sese culpa levis habet; cum eadem requiratur diligentia in alienis rebus, quam quis adhibet in propriis, *§. fin. Inst. de Societ. Struv. Ex. 19. hb. 24.* Quæ itaque diligenti socio esset lata culpa, eadem & negligenti esset levis, & vice versa: Sux propterea negligentis quoque socius acceptum ferat, quare de diligenti socio sibi non prospexerit *d. §. fin. & l. 72. ff. pro soc. ibid.* Brunnm. *n. 2.* præsertim, cum in societate non tam persona, quam industria personæ electa videatur *l. 5. ff. Eod. Brunnm. ad l. 1. C. Eod.* Moribus autem inspectis, indaganda veniunt socii bona, ne his sibi ignotis, notabilia reportet damna. Talis enim paupertate oppressorum, & vel maximè mercatorum mores sunt, ut ejusmodi societate inita, ex aliorum opibus suas reparent vires, vel irritis hinc votis, Epidici illius dictum apud Plautum *in Epid. Act. 1. Sc. 1. §. 71. quia solus perire nolo, te cupio perire mecum:* & mente concipiant, & factis quoque confirmare studeant. Egestas enim, licet inter causas dissolvendi societatem jam contractam recensetur in *l. 4. §. 1. §. pro Soc.* De contrahenda tamen hoc non erit prædicandum; cum alter socius hujus industriam, potentiam aliasque, divitiis exceptis, qualitates respicere poterit. Casus quoque omnes, quos Brunnm. *ad d. l. 4. n. 6.* recenset, loquantur de socio, tempore societatis contractæ divite, post autem paupere existente: v. gr. quando unius bona publicata, vel creditoribus cessa, vel à creditoribus vendita. §. 10.



Ultimus nunc in contractuum consensualium ordine considerandus venit mandans cum mandatario. Mandatum ratione obiecti distinguuntur in iudiciale & extrajudiciale. In iudiciali, quippe frequentissimo pariter ac periculosissimo & à parte mandantis, seu Clientis, & à parte mandatarii seu Advocati personæ ignotæ ejusque conditionis inquisitionem esse necessariò instituendam, nemo nisi stupidus negabit. Clienti Advocatus minimè debet esse ignotus, cum ab ejus industria & dexteritate salus causæ magna ex parte dependeat; & e contra ab ejus sive inficitia sive desidia causæ inevitabile naufragium proficiscatur. Unde itaque hæc vel industriam vel delidiam clienti divinare licet? & unde optimum eligendo, causæ suæ Palladium quarere potest? dum talpâ cæcior oberret, nec ullum inter illos, quippe sibi ignotos discrimen habet: negligente enim, semel electo, & causâ inde vulneratâ exiguum sibi promittit solatium argumentum ex *l. 23. in fin. ff. de Minor.* quod videlicet sibi imputare debeat dominus, qui tam negligenti negotia sua commisit. Quomodo & cliens absque periculo certissimo ejus mandato seu procuratorio inferere potest cautionem de rato, cum ejus mores nesciat? quæ tamen clausula hodie ferè de necessitate est. Dn. Stryck. *de Caut. Contr. Sect. 2. c. XI. §. 5.* Quâ securitate porrò Cliens ignoto Advocato omnia sua bona hypothecâ supponere potest? quam quidem clausulam, etsi eam cliens non offerat, Procurator tamen, quippe sibi ad expensas in mandati executionem factas, eo promittius repetendas utilem, nunquam omittet. Dn. Stryck. *d. cap. XI. §. 7.* Ne jam dicam de charta blanca, quæ sæpius mandati locodari solet, cujus abusus, & inde resultans periculum maximum esse potest, si ea ignoto tradatur. Porrò nec Procuratori Cliens debet esse ignotus; plurimas enim exceptiones ex personæ ætate & privilegiis competere, apud omnes in confessio est, qui jura nostra lusco saltem oculo perscrutarunt. Quibus omnibus exceptionibus pariter & privilegiis nullâ personæ habitâ inspectione merito privatur. Extrajudiciale madatum iisdem absolveremus capitibus: considerantes nimirum mandantem & mandatarium. Mandans non debet, nec commodè etiam potest mandatario ignotus.

tus esse; dum aliàs frustra & inutilis esset mandati actio contraria, quam tamen ob damnum mandati nomine eveniens mandatario concedit *l. 10. §. 9. l. 12. §. 9 ff. Mandat. vel contr. Struv. Ex. 22. th. 12.* Et cum mandatum naturã suã ut plurimum sit gratuitum, non præsumendum ex hujus seculi tenacitate velle quem ignoto operas suas in exequendo mandato gratis concedere. Nobis enim (cum Cicerone de *Perii. Consul. cap. VII.*) stultius nihil videtur, quam exillimare eum studiosum tui, quem non noris. Mandatarium quod attinet, non potest is ignotus esse mandanti, si juxta præscriptum *l. 57. ff. d. r.* certi hominis fidem elegerit: *junct. l. 1 §. 4. ff. eod.* Conf. *Struv. d. Ex. th. 15. ex d. l. 57. inferens*, mandatarii heredes, mandanti forsan ignotos mandatum nullo modo exequi posse. Ignotus autem non debet esse mandatarius tertio cuidam ad quem mandatum dirigitur; si velit in rebus suis cautè versare. Debet quidem omnis sine vano nunciis esse: juxta *Propert. l. 3. Eleg. 5.* Sed an mandatariorum omnium mores huic dicto se conforment, plurimi non sine causa dubitant. *arg. l. 52. §. 11. ff. de furt.* Hanc itaque mandatarii sive veritatem sive falsitatem & simulationem optimã perscrutabitur ratione, si personam ejus sollicitè examinet, & testimonia, quæ ipsum faciunt mandatarium, sibi exhibenda curet; nimiam enim credulitatem ut in aliis contractibus, sic quoque in hoc respuit *l. 11. C. de obl. & act.* Non enim liberatur ille, qui solvit falso & ignoto Procuratori, seu de cujus mandato non constat. *l. 12. l. 34. §. 4. ff. de solut. & liber. Faber. C. lib. 8. tit. 30. def. 29. Stamn. de serv. pers. lib. 2. cap. 25. n. 11. in fin. & latissimè Hefero. de rat. redd. loc. XI. n. 42. & c. adde n. 62.* Et quamvis generalis mandati probatio adsit, non tamen semper creditor solvendo se liberat; sic si quis ad monendum saltem mandatum habet, ei non tuto solvitur. *arg. l. 12. §. 1. ff. commodat.* Dn. *Stryck. d. cap. XI. §. 20.* imò ad solutionem recipiendam speciale mandatum requiritur. Vid. *Brunnem. ad l. 86. ff. de sol. & liber. n. 3.* Sed quid si persona ignota ex solius chirographi productione suam personam absque alio mandato legitimat & debitum exigere intendit, an huic tuto debitum solvi potest? Affirm. *Papæ dec. Gratian. 13. in fin. Boer. dec. 281. n. 7. per l. 1. C. de donat.* Nos cum Hefero

Hesero *cit. loc. XI. n. 70.* negamus. Imo non tantum ejusmodi ignoto mandatario tuto solvi nequit; sed nec ignoto debitum solventi, & pignus quod debitor dedit, ejus nomine luere volenti, illud exhibere quis sine periculo potest; ita enim intelligendus casus apud Struvium *dec. Sabb. 8. cap. VII.* ubi creditor ignoto nuncio, pignoris qualitatem, debiti quantitatem, domini pignoris nomen, ac diem, quo pignus datum fuit, exprimenti, pignus debitori restituendum dederat: hic verò nec missus à debitorre, nec pignus huic restituit: tenebitur itaque creditor ob culpam, quod non diligentius circa restitutionem rei pignoratæ versatus fuerit. arg. *§. ult. Inst. quib. mod. re contr. obl.* Dissentit tamen Thesaur. *quest. forens 62.* Quæritur etiam an quis mandatum sibi commissum alii rursus possit mandare, qui mandanti forsitan ignotus est? quod affirm. arg. *l. 8. §. 3. ff. mandat. l. 1. §. 5. de Exercit. act. vid. Wissenb. diss. ad ff. tit. Mandat. n. 15.* Dummodo tamen selectu habitò constituat vicarium explicandò negotiò supparem. vid. Dn. Gædei *tract. de contr. stip. cap. 9. concl. 8. n. 145. &c.* Porro ex Jure feudali decidenda quæstio: An vassallus per Procuratorem investituram accipere, & domino ignotus esse possit? Et responderi Rittershus. *part. feud. lib. 1. cap. IX. quest. 5.* quod consentiente domino possit: id tamen simul superaddit; quòd præstet modis omnibus, ut vassallus coram adsit, quò magis sciat Senior, qualem habituras sit defensore; maxime cum juranda sit fidelitas. Ex Jure mercantili huc quoque adduci possent controversiæ, quas pariunt *Die girirte und indossirte Wechsel* dum mandatarius, sive ille, qui vocatur *commiss*, ignotus est; sed ne nos diffundamus, allegare sufficiet Dn. Stryck. *d. tr. Sect. 3. cap. V. §. 23. Leipziger Wechsel Ordnung §. XI.* Id adhuc *ex d. ordinat. §. XV.* notandum, quod, si in cambio præfens solutio (*à vista*) mandato sit, peregrinantibus etiam, qui plerumque ignoti, intra 24. horas satisfaciendum sit.

§. 11.

Hucusque circa contractus veros explicandos hæsimus, nunc & quasi contractus salutandi. His sine dubio accensetur tutela *§. 2. Inst. de obl. que quasi ex contr.* Ad hanc evitandam, dum jura tutoribus justas quasdam concedant excusationes, quibus si-  
nuoso

novo elabuntur flexu, hanc tamen ab ipsis allegatam planè re-  
 probant, si nimirum dicat, se patri vel matri pupillorum igno-  
 tum esse, *l. 15, §. 14, ff. de excus. tut. §. 10, Inst. Eod.* Non dubium  
 est, quin hoc intelligendum de tutore, testatori propriâ quadam  
 ac familiari ratione & faciem ignoto: sufficit enim, si fama note-  
 scat, propter eximiam nimirum prudentiam atque probitatem;  
 quemadmodum studiis se notum fuisse factum, iis, quibus aliter  
 ignotus fuit, testatur Plinius, *lib. LX, Epist. 73*, alioquin enim, si  
 pater omnino ignotum tutorem daret, pupillo non certo consuli-  
 leret consiliò, quod tamen absurdum *§. 27, Inst. de legat.* Conf.  
 Pacii *comment. ad d. §. 10*. Sicut autem in tutore à patre dando,  
 non adeo familiaris tutoris inspectio requiritur; à contutore ta-  
 men ea nequaquam omittenda est, ne, bonis moribusque contu-  
 toris parùm inquisitis, humeris suis, Hercule haud dubiè dispa-  
 ribus, damnorum pupillarium onus imponatur. Non enim igno-  
 ti juris est, tutores esse debere succedaneos periculi alterius ne-  
 gligenter aut perfidè tutelam administrantis; quamvis innocens  
 alter pro sua parte enixam illius curam gerat. *l. 3, §. 8, l. 55, ff. de  
 admin. & per. tut. l. 2, C. de div. tut. & qua part. & c. Struv. Ex.  
 31, th. 39*. Sive hic sciverit, sive ignoraverit; cum scire hoc de-  
 buerit arg. *l. 1, C. de per. tut.* ibique Brunnem *n. 2, 3 & l. 14, ff. de  
 Admin. tut.* Nec etiam exceptio est quoad honorarios tutores,  
 quippe qui observatorum *l. 3, §. 2, ff. de Admin. tut.* & notitiæ  
 causâ datorum *l. 32, §. 1, ff. de testam. tut. & l. 14, ff. de solut. & li-  
 ber.* nomine veniunt. Denique nec debet nec potest tutor esse  
 ignotus Magistratui, quippe à quo plerumque datur, vel confir-  
 matur, & satisfactio honorum pupillarium nomine exigitur;  
 quos actus omnes accurata personæ inspectio sine dubio præcedere  
 debet; ne ea neglectâ damnum pupillo inde eveniens, actione  
 subsidiaria conventus rescire teneatur *§. 2, Inst. de satisf. tut.  
 vel cur. l. 1, §. 6, ff. de Magistr. conv.* Vid. Struv. *Ex. 31, th. 81 & 82*.  
 Porro ex quasi contractu receptionis in cauponam casum nobis  
 scenerat. Struv. *dec. Sabb. 7, cap. 27*, ubi nobilis quidam, cum  
 in Principis sui comitatu esset, in diversorio suam hipperam  
 (quam Festus & Lucilius *lib. VI*, apud Nonium *bulgam*, vocant)  
 cauponis uxori custodiendam tradiderat. Hæc omnem quidem  
 curam

curam & sollicitudinem in ea asservanda adhibet; sed postea, cum omnes in procinctu forent, repetenti cuidam servo, sibi ignoto, quemque nobilis illius ministrum putabat, bona fide restituit, qui eam subreptam intervertit. Nobilis ille rei hujusce ignarus, bulgam suam à caupone ejusve uxore repetit, & quod salvam sibi fore receperint, restitui sibi iudicio postulat. Quæritur quid juris? & respond. cauponem actione de recepto ad refarciendum damnum teneri. Non enim error circa personam commissus uxorem excusare poterit, quia melius inquirere potuisset ac debuisset. Conf. Rensner. *lib. 3. conf. 9.*

§. 12.

Reliquos casus in actionibus ex quasi contractu descendentes, occurrentes *unico huic §.* includamus, cum mellem uberiorum in hoc fundo metere non liceat. Sit itaque primus negotiorum gestor, qui domino, cujus negotia gerit, debet esse ignotus, non quidem, quod personam ipsam attinet, sed ut negotiorum gestor; alioquin si sciret aliquem negotia sua administrare, & pateretur, nihil aliud ac mandatum esset *l. 18. ff. mandati.* potest quoque negotiorum gestori dominus, ad quem res spectant, ignotus esse: velati si quis putaverit Titii negotia gesta fuisse, cum tamen Sempronii fuerint; & poterit nihilominus negotiorum gestor experiri contra Sempronium. *l. 5. §. 1. l. 45. §. ult. l. 6. §. 8. ff. de Neg. gest.* Conf. Struv. *Ex 7. th. 47.* Porro circa actionem funerariam excutienda venit quæstio; An, dum ignotum sepeliendum curo, ex compertis postea ejus heredibus sumtus funeraria actione possim repetere? quod regulariter affirmamus. Quamvis enim in eo, cujus ne quidem personam, multò minus bona cognita sunt, animus donandi præsumi possit; hæc tamen præsumtio hic non locum habebit, cum fortior sit naturalis præsumtio, neminem rem suam jactare velle. Non enim ex hoc solo quod ignotus sit, donandi animus præsumendus & statim concludendus; Sed prudenti æstimandum erit arbitro, quò animo fecerit; ut jubet *l. 14. §. 7. ff. de Religiof. &c.* Nec etiam ista præsumtio, quod ex misericordia fecisse videatur, & hinc sumtus repetere non possit, militat contra eum; optime enim distinguit *d. l. §. 7. misericordiae modum;* ut in hoc fuerit misericors vel

F

pius,

Pius, qui funeravit, ut cum sepeliret, ne insepultus jaceret; non etiam ut suis sumptibus faceret. Adde, quod toties pietatis causa expensae praesumantur factae, quoties inter personas derivatio vel communio sanguinis intercedit, & pro illa persona, in quam expensae fiunt, indigentia seu evidens necessitas militet, ut nimirum illa liberalitate carere non possit. Dn. Stryck, *de Caut. contr. sect.* 3. cap. 1. §. 5. Hinc si quis transeuntem ignotum, quem vultus liberalis, vestes pretiosae, imò & literae vel testimonia, quae secum attulit, satis à turba pullata distinguunt, humandum curet, inque eo nullis parcat sumptibus; si Medicorum chorum splendidis honorariis remuneretur: si pro strepitu nolarum; pro concionibus & cantionibus, addam & epulis funeralibus; pro sepultura, marmore & epithaphio promptè numeret, non dubium est, quin velit sumtus repetere. Sin vero quis ignoto, quem pannosa vestis aliaque circumstantiae trivio conceptum & stercore educarum ostendunt, justas faciat exsequias, cumque in locum, ubi infimae sortis Christiani sepeliuntur, inferat, & omne, quod ob publicam ecclesiae consuetudinem citra scandalum infimorum omitti potest, omittat; tum sine haruspice & extis quoque conjicere licet, illum de repetendis impensis non cogitasse. Imò, si quis sumtus adeo modicos in contumeliam defuncti ignoti forsan locupletis impenderit, eos repetere non poterit, si vel maxime vellet, & de contrario animo protestatus fuerit: vid. *d. l. 14. §. 10.* Conf. Struv. *Ex. 15. rh. 88. in fin.* Optimè igitur sibi consulat is, qui ignotum, quem putat divitem, funerandum curat, ut animum declaret, & protestetur, se non misericordia animo fecisse, sed à liberis & heredibus ejus expensas velle repetere, si sibi innotescant, ne postea quaestionem patiat *d. l. 14. §. 7.* Struv. *d. Ex. rh. 86.* Id adhuc notandum, quod, si ex instituto vel moribus loci alia solemnitas observetur in sepulturis incolarum, eaque negetur peregrinis, seu non civibus, ignotus solemnium incapax dicendus: Feltman. *de Cadav. insp. cap. 23. n. 8.* An verò cadavera ignota, vi occisa, in arena, vel loco in quo reperuntur, sepelienda sint? Idem quaerit *d. tr. cap. 16. n. ult.* ubi in fine ipsis assignat locum, & caemiterii regionem, quae egenis destinata est.

Obligationem, quâ quis se lubens obstringit in præcedenti-  
 bus vidimus, restat itaque ea, quam etiam inviti incidimus, deli-  
 cta nimirum: quæ nullâ ad Pandectarum ordinem habitâ ratione,  
 nec attentis Doctorum distinctionibus, sed quod primum eo-  
 rum in buccam venerit, percurramus. Prima itaque nobis ex de-  
 lectis species sit homicidium. De hoc nobis Hebræorum leges,  
 Bibliis sacris expressè elegantem fecerant locum Deuter. cap.  
 21. v. 1. & seqq. lubet itaque verba integra apponere; *Si quis in-  
 veniatur confossus in terra, quam Jehovah Deus tuus dat tibi, ut  
 hereditario jure possideas eam, jacens in agro. nec NOTUA  
 SIT, QUIS PERCUSSERIT eum, tunc egressi Seniores & judi-  
 ces tui metientur inde usq. ad civitates, quæ sunt circa confossum  
 illum: eritq. ut civitatis illius, quæ proxima erit illi confosso, ci-  
 vitaris ergo illius Seniores accipiant vitulam de armento quæ non sit  
 ad usum adhibita, quæ non traxerit jugum. Et deducentes Se-  
 niores civitatis illius vitulam illam in vallem horridam, in qua ni-  
 hil colitur nec seminatur; decollabunt ibi vitulam in illa valle. De-  
 inde accedentes Sacerdotes filii Levi, eos enim &c. Omnes quo-  
 que Seniores civitatis illius qui sunt proximi ad confossum istum la-  
 vabunt manus suas super vitulam decollatam in ea valle, & prote-  
 stantes dicent, manus nostra non effuderunt hunc sanguinem, ET  
 OCULI NOSTRI EFFUNDENTEM NON VIDERUNT &c. Nô  
 hîc jam multis de typo hujus ceremoniæ disquiramus; an videli-  
 cet ea representet Christi sacrificium expiationis, ut putat Fagius  
 ad d. l. vers. 3. an verò aliud quid; cum partes hæ Theologo vi-  
 dentur magis concreditæ esse, nec sub rubro dissertationis Juri-  
 dicæ (prout nostra est) commodè eas ventilari posse putamus. Per-  
 sequamur itaque reliqua, quæ huic ceremoniæ illustrandæ infer-  
 viunt. Requirebatur itaque ut auctor esset ignotus, post sedu-  
 lam nimirum inquisitionem, etiam propositis indicii præmiis, si  
 credimus Josepho Antiq. Jud. lib. 4. cap. 8. Hôc ignotò, egrédien-  
 tur Seniores metientes spatium inde usque ad civitates proximas  
 forsan & hoc fine, ut hōc factò homicidium commissum spargat-  
 ur per ora virùm, & sic forsan reus prodatur: probabile enim  
 est, homines tam splendidâ ceremoniâ convocatos, invicem de  
 sceleris auctore habuisse sermones, ut vel hac ratione notus fieret,*

teste Fagio ad *h. loc.* Vicinioris porrò urbis Magistratus, tam fa-  
 cer quàm profanus conveniebat, casâ vitula fractaque ejus cervi-  
 ce quasi umbratile supplicium de homicida sumebat, qualem ni-  
 mirum de ipsomet, si reperiri posset, revera sumeret. Vid. Ja-  
 cob. Tirin. *comment. ad d. l.* Utque populo diligentiam suam, &  
 de vindicando homicidio zelum approbaret. Peragebat Magi-  
 stratus omnia sub dio; hâc potissimum causâ, ut homines eò ma-  
 gis ab homicidio deterreantur; quemadmodum & hîc locorum  
 videmus, quod omnia judicia criminalia sub dio celebrentur. No-  
 tandus itaque Petrus Abbulensis, qui hujus ceremoniæ legitimum  
 quidem finem statuit, hunc videlicet, ut reus proderetur, ridi-  
 tamen experimento, puta naturali sanguinis antipathia, quâ fieri  
 soleat, ut appropinquante homicida vulnera cadaveris, vel ossa  
 etiam post plures dies sanguinem effundant, Deo tali signo sceleris  
 auctorem subinde prodente. Non quidem meum est determi-  
 nare, an ejusmodi sanguinis fluxus omni exceptione majus indi-  
 cium sit; multò minus quæ hujus fluxus causâ; cum hæc lampas  
 Medicis & Physicis tradenda sit, quorum jam alii hanc materiam  
 ad ravim usque pertractarunt, ad quos remittimus. Vid.  
 Paulin. *Anmuth. Lange weil. quest. XI. pag. m. 49.* Pfauz. *disp. hab.*  
*Lipsia de flux. sang. è corp. occis. ad præf. occisor. refutatus tamen à*  
*Vogtio in delict. Physic. cap. 1. Sect. 3. membr. 3. addamus & Jctum*  
*Cel. Feltman. de Cadav. insp. cap. 59.* In hac tamen ceremonia  
 dictum experimentum locum habere nequit; cum tantum Senio-  
 res cum Levitis fuerint adhibiti, quos de tanto scelere suspectos  
 habere nefas fuisset. Moribus hodiernis nostris hæc ceremonia  
 plane ignota est, & ut in aliis, sic & hoc casu tritissima observatur  
 regula, quod de occultis atque ignotis nec Paulus Apostolus nec  
 Paulus Jctus judicare possit. vid. *cap. 33. X. de Simon.* Hæc de  
 casu ubi occisor est ignotus; prodeant nunc ex eadem scena habi-  
 tu sanguinolento iidem, inveris tamen ordine, occisor videlicet  
 notus ac certus, cum occiso ignoto. Dubio autem omni caret,  
 quod homicida, etiamsi nomen atque conditio occisi ignoretur, &  
 tam judici quàm reo penitus ignotus sit, nihilominus morte pu-  
 niri debeat; quia satis est, quod occiderit hominem arg. *l. 1. §. 2.*  
*f. ad l. Corn. de Sicar.* Vide in terminis Dn. Feltman. *de Cad. in-*  
*spic.*



*fic. cap. 23. n. 4.* Bossius *ad d. tit. n. 23.* quod & exemplo firmat Baldus *ad l. 9. §. 8. ff. de Hered. instir.* Imò si statulo loci cautum, nemini abolitionem dandam, qui civem occiderit, gratiam non potest sperare is, qui ignotum necavit; quia ratione tuitionis & securitatis pro cive habetur, qui sive notus, sive ignotus, per terras nostras iter facit; Cum Princeps omnibus illis securitatem debeat *arg. l. 13. ff. de offic. Praef. l. 10. ff. de Reg. Jur.* Vid. Feltman. *d. cap. 23. n. 7.* Porrò, quoad processum inquisitionis super ignoto occiso, cautè instituendum, Judicis officium erit, ut, si cadaver non noverit, praesentes interroget, eorumque responsa annotari curet. His quoque ignorantibus, cadaver in loco publico exhibeat, ut à praeereuntibus videri possit: hæc enim ratione Germani cujusdam Studiosi omnibus ignoti, cadaver à caupone agnitum esse, testis est idem Feltman. *d. tr. cap. 14. n. 7. in fin.* (ubi & notabilia de loco, ubi ignotus, praesertim cujus honoratior conditio ex vestibus apparet, exponi debeat.) Si postquam videndi cadaveris copia in publico cuilibet facta, nemo venerit, tunc Judex per Scribam consignari jubeat ætatem, sexum, formam, barbam, vel, si avultum humeris caput, & sine nomine corpus sit, vestes quibus circumdatus, res apud ipsum inventas, aliasque notas, quae legalitati Judicis committuntur; Has omnes postea fastis hebdomadalibus inseri curet, ut ex iis intelligant forsitan propinqui, quid ipsi contrigerit, & veniant ad justa cadaveri persolvenda. Sed his non diutius immorabimur; cum Spartam hanc jam optimè exornaverit Dn. Feltman. *d. tract. cap. 23. n. 1. 2. 3.* Paucula addamus de corpore delicti ignoto; eo enim saepius prolabantur homines, ut vel animi ægitudine atque melancholia vel vitæ tardio impulsu properent, mæstas visere manes, confitendo nimirum Judici delictum, cujus corpus ignotum est. Quæ solâ confessione si Judex contentus sit, facillimo evenire poterit negotiò, ut etiam, ille condemnetur, qui vel omnium Deorum judicio in supremo Atheniensium tribunali innocens repertus & Judicatus fuisset. Optimò itaque consiliò leges civiles moribus simul adprobatae caverunt, ne confessiones pro exploratis facinoribus habeantur, nisi de corpore delicti constaret. i. e. tale quid reve-

revera commissum esse, quod quis lubens confitetur. *l. 1. §. 17. ff. de Quæst. ibique Brunnem, n. 6. & 7. Carpz. Pr. Crim. part. 32. quæst. 8. n. 1. & quod nemo confessione sua delictum facere possit; Idem part. 1. qst. 16. n. 1. Struv. Ex. 15. lb. 43. quamvis purissima sit. Carpz. Ipr. Eccl. lib. 1. qst. 60. n. 8. & qst. 72. n. 52. Conf. Ungepaar de Confess. cap. 1. concl. 1. lit. D. ubi notabilem habet casum, Cujus quidem confessionis fallacitas & ut plurimum falsitas in crimine magiæ, infanticidii imò plurimis delictis, quæ multis abhinc retro annis patrata dicuntur, deprehenditur. Brunnem. cit. loc. Optime itaque faciebat Josua, qui Achani delictum confitenti non credebat, nec pœnam infligendam dicebat, priusquam de delicti corpore constaret. Josuæ cap. 7. v. 22. Non tamen negandum est, quod aliquando, si nimirum reus gravissimis indicis urgeatur, & nihilominus neget, Judex ad torturam procedere possit, ignotò licet delicti corpore; prout solide defendit Faber. C. lib. IX. t. 21. def. 17.*

## §. 14.

Lusum dolosum quoque huic delictorum classi accensendum esse, nemo forsàn inficias ibit; cum furti naturam tantâ similitudine æquet, quanta canibus catulis & matribus hædi accedunt. Circa hunc examinanda venit quæstio, cui pecunia doloso lusu ab ignoto acquisita, sit restituenda? & R. eam pauperibus dandam esse arg. Numer. cap. 5. v. 8. ubi expressè dicitur; Si nemo sit cui reddi possit, Deo reddendum esse. Ne autem quis in hac quæstione dubium aut nodum in scirpo quærat, casum hunc pono. Celebrat quis Venetiis Bacchanalia, quæ omnes fere larvati frequentant. Cum his larvis non quidem luctatur, sed ludit, & ex his quendam sibi ignotum doloso lusu argento emungit: longè tamen post Spiritus sancti gratiâ illuminatus, & Tantaleo illo conscientiæ lapide gravatus agnoscit talem pecuniam per injustitiam ac dolum esse corrasam, ita ut bona conscientiâ eâ uti non possit. Quid ergo sibi faciendum? Si dominum sciret, res extra omnem dubitationis aleam esset posita; Suum enim cuique restituendum esse Jura Divina pariter ac humana dicunt. Vid. dict. cap. V. v. 7. & §. 3. Inst. de Just. & Jur. junct. l. 3. C. de Aleat. adeo, ut de Jure Civili municipium, vel demum Fiscus ejusmodi pecuniam lusu amissam

amissam, ut turpiter quasitam condicere possit, si is qui perdidit, repetere nolit, Brunnem. *ad. d. l. 3. n. 20. §. 32.* Nec etiam remanet dubitandi ratio, si is, qui perdidit, mortuus quidem sit, heredestamen reliquerit, quibus, defunctum siquidem representantibus, pecunia poterit restitui; qui si pœnitenti colutori sint ignoti, sedulâ tamen Judicis indagacione innotescere possent, moribus Hebræorum tenebatur pecuniam in Judicii loco deponere, quousque heredes latent, ut notat Drusius *ad d. cap. 5. §. 7.* In hoc autem nostro casu nec ipse dominus nec ejus heredes investigari possunt, hinc pecunia dolosô lusu acquisita his restituenda venit, quibus præsumtivè eam lubentius reliquurus fuisset damnus passus: atque hi in dubio pauperes erunt, docente Dn. Stryck. ad Brunnem. *Jus Eccl. lib. 1. cap. 6. membr. 1. §. 7.* Nec obstant verba Christi; *Lucæ cap. XI. §. 41.* *ἄλλο ἢ ἐνδύσθαι δάρα ἐκπέποισμένον.* Nam qui *ἡ ἐνδύσθαι*, per *licia* explicant derivationem ejus accersentes è Græco *ἕρσι*, seu *ἕρσι*, quod significat *licere*, infirmo sententiam suam superstruunt fundamento, §. 15.

In controversiis circa injuriatos vel injariantes ignotos occurrentibus decidendis oleum & operam perdidissemus, nisi homines mirum quantum differant ab acutissimo Martiale, qui etiam leviter sibi notos SUOS vocabat *l. 14. Epigr. XI.* imò ignotos sibi obvios honestissimo *domini* nomine compellabat. Testis omni exceptione major sit in *libr. 1. Epigr. 113.*

Cum te non nossem dominum Regemque vocabam;

Cum bene te novi jam mihi Priscus eris.

Idque ex inveterato more; antiquos enim solitos fuisse, quoties homini ignoto occurrerent, cum dominum aut Regem appellare: scribit Seneca *citatus in notis ad d. Martialis locum.* Audiamus & Erasmi colloquiorum primo, cui titulus *saluandi*, luculentum testimonium. Ubi inquit; Senes adolescentes ignotos *filiorum* cognomento salutant, adolescentes vicissim illos *patres & dominos*. Imò, etiam si ignotos Domini Regisque nomine compellere dubitemus; tamen *seruum herole esse oportet & nequam & malum; Hominem peregrinum atque advenam qui irridet;* sunt verba Plauti in *Pœnul. Act. V. Sc. 2. §. 70.* Ignotus autem

tem, ut ad rem ipsam veniamus, est vel injuranti ignotus, vel injuriato injurians; hinc & de utraque quid discernendum erit. Quod injuriatum injuranti ignotum concernit, injuriato contra injuriantem, ex delicto hoc actionem dari nemo negabit, nisi qui verum in patria crassoque sub aëre natus: si cum Juven. *Sat. 10. v. 10.* loqui liceat; cum hanc assertionem, etiam luce meridiana clariorem satis superque evincat *l. 18. §. 3. ff. de Injuriis*. Quamvis autem aliam injuriam ex vera persona qualitate plerumque vel atrociores vel leviores soleant aestimari, *l. 7. §. 8. ff. Eod.* Nostro tamen casu ea non nisi ex praesumpta injuriati conditione seu qualitate censenda erunt, quam conditionem ex habitu seu vestibus, famulatio, loco atque tempore conjicere licebit arg. *l. atrocem. 4. C. de injur. & c.* cum habitus praesumptionem de hominis qualitate inducat; arg. *l. 15. §. 15. ff. eod.* Faber. in *Cod. lib. 3. tit. 1. def. 21. n. 1.* Feltman. *de verb. sib. obv. Sect. 1. n. 39.* Sicut itaque ille, qui laicum sub veste Clericali latentem, animo injuriandi Clericum, contumelia destrinxerit, vel percusserit, majori afficitur poena, quam si habitu seculari, & plumis vitae suae genus magis decentibus, obiectus fuisset arg. *d. l. 4. C. eod.* ibique Brunnem. *n. 1. & 2. conf. §. 9. Inst. Eod.* Sic vice versa, qui Clericum sibi ignotum, habitu laico incedentem vulnerat, non tenetur poenas luere, quae alias percussoribus ejusmodi dictatae in *Can. si quis suadente Diabolo 22. Caus. 17. qst. 4.* Mascard. *de Probat. concl. 349. n. 4.* Idem obtinet, si quis virgini sibi ignota, quae tamen in habitu meretricio reperitur, injuriam verbalem intulerit, de quo casu disponit *l. 15. §. 15. ff. eod.* vid. omnino Brunnem. *ad d. l. n. 7.* dico *verbalem*; ob injuriam enim realem salva ipsi remanet actio, vid. Covarruv. *Resol. lib. 3. cap. 14. n. 2.* Nullò itaque juris colore excusare sese potest ignotum injurians, quod animum injuriandi ignotum non habuerit; sufficit enim cum scire, se injuriam inferre, licet nesciat cui; sunt verba *l. 3. §. 2. ff. Eod.* Porro controversum est: si quis Magistratui insignibus non stipato & ignoto honorem non exhibuerit, & viâ cedere neglexerit, an propterea puniri possit? & respondet negando Marius à Giurba *cons. Crim. 38. n. 15. & 16.* & Feltman. *dissert. de verb. sib. obv. Sect. 1. n. 46.* Confer. & *n. 47.* (ubi notabilia de quadam in Anglia recepta con-

suetudine ) Audiamus & Apulejum *IV. Florid. p. 597.* ubi inquit  
*si quem interea conspiciantur ex principalibus viris nobilem homi-*  
*nem, bene consultum, BENE COGNITUM: quamquam oppido*  
*festinant, tamen honoris ejus gratia cohibent cursum, relevant*  
*gradum, retardant equum, & illico in pedes desiliunt, fruticem,*  
*quem verberando equo gestant in levam manum transferunt &c.*  
 Confer & de eo, qui Rectori sibi ignoto debitum honorem non  
 exhibuerat, Menoch *conf. 898. n. 32.* Denique non possum quin  
 huic materie adjiciam Mauriti. *tract. de Duell. th. 64.* ubi: false tra-  
 ducit illum Studiosorum pugnandi prurimum, qui, si vel ignoti  
 ipsos non salutent, vel caput adaperiant, statim duelli discrimi-  
 na, impavidi quidem, sed factò non tantum cum jure Naturæ, sed  
 & officiis Christianorum pugnante, subeunt. Transcemas nunc  
 ad injuriantem ignotum. Huius sedes in libello famoso seu, ut  
 barbarè vocant, pasquillo, fixa reperitur. In hoc enim discrepat  
 ille ab injuria scripta in specie tali, quippe in qua auctor debet ef-  
 fectus, per nominis sui subscriptionem; ut si quis libellò Prin-  
 cipi datò famam alienam insectatus fuerit, *l. 15. §. 29. ff. de Injur.*  
 vel infamandi alterius causà quid in monumenta publica posuerit.  
*l. 37. ff. Eod.* In libello verò famoso & jure Civili auctor Ignotus  
 esse debet arg. *l. 6. ff. Eod. & l. un. C. de famos. libell.* Non ob-  
 st. *l. 5. §. 9. ff. de Injur.* Et jure nostro Germanico. Vid. Conflit.  
 crim. *art. 110. verb. und sich nach Ordnung der Rechten mit seinem*  
*Tauf- und Zunahmen nicht unterschreibt.* Et quamvis dissen-  
 tiens Stephani *ad d. art. 110. n. 2.* verba nach Ordnung der Rechten:  
 intelligenda putet de illa subscriptione, quæ secundum ordinem  
 juris ab accusatore fit, qui crimen aliquod in alium intentat, de qua  
*l. 3. pr. ff. de accus. & inscr.* Optimè tamen Dominus à Lyncker  
 contrariam tuetur opinionem, ostendens veterem illam inscriptionem  
 jam dudum in praxi non observatam fuisse: in *anal. ad Struv.*  
*S. 7. C. Ex. 48. th. 67.* Imò verba finalia: *ob sich auch gleichwohl*  
*die auffgelegte Schmach in der Wahrheit erkünde / soll dennoch*  
*der Ausrufer solcher Schmach / nach vermög der Recht / und er-*  
*messung des Richters gestrafft werden: satis superque evincunt.*  
 Imperatorem de inscriptione in crimen hic non loqui; cum pœ-  
 nam quis incurrat, etiamsi infamia objecta probata sit; quod ta-

men in inscriptione in crimen secus est. arg. *l. un. C. de famos. libell.*  
 & *l. 18. pr. ff. de injur.* Nec obstat *Reform. Pol. de anno 1577.*  
*iii. 35. §. und seken it.* Distingendum enim esse inter injuriam  
 famosam & libellum famosum: de illa verba in *d. Reform. Pol.*  
 intelligenda esse; De hoc verò non, disco ex *Carpzov. Pr. Crim.*  
*part. 2. qst. 98. n. 39. Conf. Brunnem. ad l. un. C. de libell. famos. n. 5.*  
 Dissentit tamen *Struv. d. Ex. 48. th. 67.* cum magna, quam adducit  
*Dn. à Lyncker hù Doctorem turba.* Hic itaque Injurius  
 ignotus, si sparsò libellò famosò postea innotescat, capitali affi-  
 citur supplicio, scilicet, si capitale delictum fuerit, cujus alium  
 insimulavit: & in aliis regulariter ea ipsi infligitur pœna, quam  
 meretur delictum, quò alium pennà *Lernæo* cruore tinctà con-  
 spurcavit, per *d. Const. crim. art. 110.* Jure verò Civili in quoslibet  
 famosi libelli auctores promiscuè ultimum supplicium fuisse  
 constitutum, apparet ex *l. un. C. de fam. lib.* Hujus autem rigoro-  
 sœ pœnæ nulla alia fuisse videtur causa, quàm occultatio nomi-  
 nis; hanc etenim tantò severiori pœna coërcere voluere Im-  
 peratores, quantò majori difficultate injuria adversus ignotum  
 nomine suppressò vindicari potest: verba sunt *Carpz. cit. qst.*  
*98. n. 37.* Et hinc si nomen sit appositum simplici tantum injuria-  
 rum actione conveniri poterit auctor, arg. *d. l. 6. l. 15. §. 29. ff. de*  
*Injur.* Sin autem auctorem nullâ ratione expiscari iudex potest,  
 & ut in libello sic in inquisitione ignotus maneat, tunc ille à carni-  
 fice pro infami declarari, & scriptum ferali peste absumendum  
 (sunt verba *l. 6. C. de Malef. & Marhem*) seu flammis pascendis  
 tradi solet. *Brunnem. ad l. fin. §. fin. ff. de requir. & abs. damn.*  
*n. 3.* ubi ardentissimum subjungit votum, se nimirum velle, quod  
 hic procedendi modus cum omnibus scriptis injuriosis, quorum  
 auctores sive ignoti, sive noti quidem sint, sed non compareant,  
 ita observaretur. Ab his tamen libellis famosis sollicitè distingu-  
 enda veniunt scripta, quæ vel sub anonymorum vel sub nominum  
 fictorum patrocínio lucem aspiciunt; quæ non certas personas,  
 sed personarum vitia perstringunt. In his enim attendendum, non  
 quis dicat, sed quid: cum nomen vel ideo quis pressum velit, ut se-  
 curius veritati litare possit; forsàn & cum ingenii humani more  
 magis penetret adhortatio ignotorum, quippe qui absque affe-  
 ctibus

Quibus scribere creduntur, & facilius emendare queant. Et quid juris sit de schedulis, quæ de crimine aliquo occulto ad Judicem, vel ad Prælatum ab ignoto deferuntur, ut pro munere suo in id inquirat, vid. ap. Molinæ: cit. ad Struv. *d. Ex. th. 67. in fin.* conf. Mev. *part. V. dec. 219. part. 9. dec. 99. & 103.* Pessimi tamen exempli, nec sui seculi hoc esse judicat Trajanus ap. Plin. *lib. X. Epist. 99.*

## §. 16.

Hæc de injuriâ, quæ famam atque æstimationem lædit, solet tamen alia damni nomine quandoque venire, quæ & corpori & imprudentum loculis, non minorem infert jacturam, hinc nec minori cum indignatione vindicanda. Medicastrum circumforanci ignoti atque Agyrtæ in impostorum ejusmodi castris primipilari stant loco, quippe qui nulla medendi arte instructi cum malo illo futore apud Phædrum *lib. 1. fab. 14.* inopia deperditi, medicinam ignoto facere incipiunt loco, & venditantes falso antidotum nomine, verbosus acquirunt sibi famam strophis. Impericia eorum ut plurimum adeo crassa est, ut, ceu Medicus Hermocrates apud Martialem *lib. VI. Epigr. 53.* omni ex parte sanos, ne dicam ægrotantes prorsus enecent, si vel per somnium ipsis comparuerint. Nobilissimum studium Medicum, ad sananda corpora languentia inventum, illi prostituunt, eò abutentes ad cruciandos atque purgandos hominum loculos; freti splendidò suò famulitiò; stipati satellitibus domino dignis, simis nimirum atque fatuis, quo turba misera impetu majori ruat, inque corporis perniciem properet. Ingenium, si quod ullum habent, omne in buccam abiisse videtur, auresque verbis divitant alienis, suas ut auro locupletent domos; ut Accius vetus Poëta aliquando de Auguribus dixit. Nec etiam ipsis sola venalia sunt pharmaca, licet & hæc nocentissima; sed & insuper misellæ ac imperitæ multitudini obrudunt characteres, susufros ad depellendos hominum pecudumque morbos, avertendam à segete ventorum grandinumque lapidationem; quemadmodum justissimò correptus zelò in eos invehitur Matthæus, *de crim. tit. de Extraord. crim. cap. 4. n. 4.* eosque ceu impios ægrotorum cubiculis expellendos monet Dn. Stryck. *ad Brunni. Jus Eccl. lib. 1. cap. VI. membr. 7. §. 10.* adeo, ut non tantùm magnam pecuniæ fraudibus congestæ vim

è locis, in quibus ludicram suam artem exercent, absque ullo emi-  
 grationis relicto censu, auferant, qui tamen census abs aliis emi-  
 grantibus subditis, quorum pecunia majori sudore paratur, ex-  
 solvenda; vid Illustr. J. H. Vultzei Regiminis Principalis, quod  
 Castellis est; Vice Cancellarii Magnifici *Disp. Inaug. de Cens.*  
*Emigr. th. XI.* Sed & cum maximo Reipublicæ detrimento eam  
 necatis subditis mutilam reddant. Hi itaque, si eorum Imperitia  
 aliis periculosa fuerit conveniri quidem possunt actione L. Aquil-  
 iæ l. 8. ff. ad L. Aquil. Conf. Tabor. *rel. Argent. 13.* Vel (2.)  
 actione Adilitiæ; si circulator animal nocens habuerit, quæ vul-  
 gò iter fit, si liber homo perierit in ducentos solidos; si tantum  
 ei nocitum, quantum æquum Judici videtur; & carcerarum re-  
 rum, quanti damnum datum sit, dupli: l. 41. §. 42. ff. de Adil.  
*Edict.* quamvis diversam foveat opinionem Menoch. *de arbit.*  
*cas. 366.* Et denique (3.) potest Judex eos extraordinarie pu-  
 nire, pro modo admissi l. ult. ff. de Extraord. crim. Struv. *Ex. 48.*  
*th. 87.* Hisce verò actionibus causâ jam vulneratâ remedium sibi  
 quarit læsus, quò sine dubio non opus foret, si Princeps vel  
 quilibet Superior per examen in eorum studia atque conditionem  
 inquireret, vel ipsis aditum ad suum territorium planè negaret,  
 quod an jure possit decidendum venit ex ea quæstione, in qua to-  
 tius rei cardo vertitur. An nimirum ejusmodi Medicastrî igno-  
 ri gaudeant jure conducendi, seu securitate territoriali? Affir-  
 mativam amplectitur Ehrmann. *in Disp. inaug. de Jur. Cond. th.*  
*23.* Sed noscum Orthio *de Jure Conduc. cap. 4. pag. m. 144.* Ne-  
 gativam defendimus. Accius quicquid Pacuviusque vomant, ut  
 proverbio utar. Sic enim si jure conducendi privandi, qui mer-  
 ces illicitas ac nocivas important vel exportant; Henr. Töbing.  
*Disp. de Nund. th. 65.* Hæc ad dubiè ejusmodi Medicastrî errone-  
 s & impostores exterminandi erunt, qui periculosa ac nociva pro-  
 pinantes medicamenta nostris discere cupiunt periculis ac experi-  
 menta per hominum mortes agunt. Non enim alias generis  
 medicamenta expectanda erunt ab hominibus quos *Leichfertige*  
*Leut. die sich arzneyen unterstehen / und die mit keinem Grund*  
*gerner haben:* vocat Carol. V. *in Ord. Crim. art. 134.* Conf.  
*Carpz. par. 1. dec. 8. n. 8. 9.* Porro ejusmodi imposturarum ar-  
 tifices



trifices excludit lex, si non expresse & nominatim, tamen implicitè. Sic in *Reform. guter Politey zu Augspurg de A. 1548. tit. 16.* damnantur vini adulteratores; quid prohibet, quo minus hanc constitutionem ob paritatem rationis per consequentiam producamus quoque ad hujusmodi empiricos & medicastrostros. Denique latronibus securitatem territorialem negandam esse apud omnes, qui non Abderitanæ pectora plebis habent, in confesso est. Nullam autem inter latrones & Medicastrostros istos homines differentiam intercedere nisi hanc, quod cives intra mœnia & non in montibus deprædentur & necent, jam olim agnovit & judicavit Medicorum oraculum Galenus in *libro prænotion.* Plura apud Orth. de *Jure Cond. c. l.* reperiri poterunt.

§. 17.

Quatuor adhuc casus in hoc delictorum catalogo restant, quos paucis examinabimus. I. *Queritur*, si quis falsam monetam expendat, & auctorem, a quo acceperit, ignotum nominet, an ille liberetur? & respond. negando: arg. *l. 4. C. ad l. Corn. de fals. l. 5. C. de furt. & c. Faber. C. lib. IX. tit. 15. def. V. n. 2.* Si scilicet alia concurrant adminicula; ut puta si sit homo malæ famæ & fidei: ne obstat *dist. tit. 15. def. X. n. 5.* quorum adminiculorum quædam supra *Selt. 3. §. 7.* exposuimus. II. Notandum, quod, qui grassatori sibi ignoto, seque Officialem jactanti opem tulerit, eò nomine teneri non possit: per tradita Fabri in *C. l. IX. tit. 26. def. 15.* Porro III. *Querunt* anne instrumentum seu chirographum, quod à civitate mutuo accipiente creditori in securitatem crediti traditum, falsitatis argui, seu ex hoc capite invalidum dici queat, quod non Secretarii, sed ignoti cujusdam manu exaratum sit? Quod negatur præcunte Dn. Brunnemanno *Consil. 90. n. 27.* ubi elegantissimè suam sententiam exponit, & solidissimè eandem defendit, Denique IV. controversum est, an fides habenda puellæ stupræ assertenti, se ab ignoto vi compressam esse? quod *regulartiter* negamus ex Carpz. *Crimin. part. II. quest. 75. n. 85-88.* (ubi præjudicium subnectit) Si enim mulieri etiam notum stupri violenti accusanti non creditur, parim quia testis est in propria causa; quibus adverteatur *l. 10. ff. de Testib. l. 10. C. eod. partim*, quia hac sua assertione, se capitalem ejus hostem ostendit; hinc

cx

ex præscripto l. 1. §. 24. ff. de *Quest.* repellitur. Vid. Berlich. *part. IV. concl. 41. n. 70. 71. & concl. 38. n. 49. & seqq.* Multò minus itaque tali credendum erit, si ab ignoto se vi compressam asserit. In talem enim, præsertim si non præsens, nec facile expiscari possit, auctacter forsan convitiari solet, quo immunitatibus vi stupratæ concessis, frui detur. Dixi supra *regulariter*: Nam si Judicem statim adeat, quamprimum stuprum passa fuerit, & de vi illata conqueratur, multum fidei ipsitribuendum erit; cum econtra ex silentio stupratæ non levis præsumtio contra eam oritur, quod in stuprum consenserit. Carpz. d. *quest. 75. n. 87.* ubi & plurimum arbitrio Judicis hoc in casu relinquendum esse putat. Conf. Eiusdem *Jurisprud. Confist. lib. 2. def. 238. n. 14.* ubi notabile præjudicium de ea quæ se ab ignoto milite transeunte vi coactam dicebat. Porrò quoque etiam si mulier fateatur quidem sibi consentienti, & nemine cogente stuprum esse illarum, sed ignotum sibi fuisse stupratorem asserat; non nimium credulus sit Judex. Hòc enim propugnaculo partim criminis depellendi causæ uti solent, si forsan rem cum conjugato habuere, ne hoc casu majori pœnæ subjiciantur: partim quoque hoc comminiscuntur, si acceptâ pecuniæ summâ stupratorem forsan divitem ac potentem indicare nolunt. Veritatem itaque quantum fieri potest inquirere, & stupratæ mendacia subtiliter limare, Judicis haud dubiè est officium.

## §. 18.

Occasione delictorum sæpius quoque usu venire solet, ut illis, qui publicum præbent scandalum, publica quoque injungatur deprecatio, seu pœnitentia. Circa hunc verò pœnitentem tres potissimum enodandæ veniunt quæstiones. I. An nomen pœnitentis possit esse ignotum, dum à Pastore è suggestu delictum, quod reus deprecari vult, Ecclesiæ notificetur? Respondemus cum Dn. Stryckio *ad Brun. Jus Eccl. lib. 2. cap. 19. §. 25.* affirmando. Parum enim momenti atque utilitatis in eo situm videtur an nomen notum, an verò tectum sit; sed sufficiet, si in genere delictum exprimat, & contra quod Decalogi caput illud commissum: quod regulariter receptum videtur. Dico: *regulariter*: ubi eaim contraria recepta est consue-

suetudo, ea, ut in aliis casibus, sic & in hoc omne feret pun-  
 ctum, dum ea in deprecationis quoque materia legem faciat ;  
 per tradita Mevii *part. 7. dec. 293.* Quæ tamen consuetudo circa  
 ejusmodi ritus diversissima est. Vid. Carpz. *Jurispr. Consist. lib. 3.*  
*def. 83. rot. 4.* in qua tamen innuere videtur nomen pro diversita-  
 te delicti admissi vel esse publicandum vel premendum. Sic *n. 14.*  
 & *15.* præjuciiis confirmat deprecantis nomen esse exprimendum  
*num. 17.* verò & *19.* Idem propter matrimonii favorem reti-  
 cendum putat. Huc etiam collimant Agend. Eccl. Hassiaca  
*cap. 18. pag. 312. verb. mag die Person mit Nahmen genandt/  
 oder auch ihr Nahme verschwiegen werden/nach Gelegenheit der  
 Sachen.* Quod & cum refractario factum fuisse testis est Dn.  
 Stryck. *loc. cit.* Porro controversum est, an publicè deprecans  
 habitu & vestibus ignotis uti possit, iisque incedere? Quod ne-  
 gandum putamus. Non quidem eum habitum vocamus igno-  
 tum, qui insuetus videtur, ut scilicet pœnitentes pro diversitate  
 morum Regionis saccò induti incedant. Vid. Dn. Stryck, *ad d.*  
*l. §. 24.* Hic etenim habitus in pœnitentiæ actu notissimus  
 est: sed ille habitus nobis ignotus est, quo pœnitentes circum-  
 stantibus redduntur ignoti; si nimirum vestibus sua conditione  
 inferioribus utantur, quo plebeji videantur; vel, ne foeminae  
 ex vultu notescant, caput velò linteisque obtegan. Quod iis  
 potissimum perpetratur in locis, in quibus nomina à Pastoribus  
 reticentur, & pœnitentes absolutione facta non statim ad S.  
 Cœnam admittuntur. Quamvis itaque in pœnitentiâ privata  
 habitus non attendatur, an secularis an clericalis, inò qualis  
 sit. Rittershus. *ad Nov. part. 1. cap. VI. num. 42.* id tamen de pu-  
 blica asseri nequit. Nihil enim magis publicæ pœnitentiæ con-  
 veniens est, quam ut Ecclesia ab eadem persona scandalum vi-  
 deat deprecatum, à qua initio profectum est. Hæc vero igno-  
 to habitu incedens, nullum scandalum dedisse videtur; sicque  
 non sine ratione metuendum, quod dum prima scandala expia-  
 ri soleant, secundis simul porta ingenti pandatur hiatu. Deni-  
 que quæri potest, an delictum alibi commissum, ignoto possit  
 & debeat deprecari loco. Et respondemus distinguendo deli-  
 cta: his etenim in alieno loco ignotis & occultis non dubium est,  
 quin

Quin publica deprecatio ibi injungi non debeat; cum nec in ejusmodi delictis in ipso reatus loco ad eam adstringi quis possit: in publicis enim solummodo delictis poenitentiae publicae locum esse non ignoti juris est, per tradita Carpz. *lib. 3. def. 89. 101a* Stryck. *d. l. §. 27.* Delictis vero alieno in loco compertis & notis alia planè est rerum facies; tunc enim scandalum delinquentem sicut noxa caput sequitur, nec sola domicilii mutatio tanti est effectus, ut delinquentem deprecatione publica liberet, quippe quae publicorum criminum scandala ab Ecclesia removet; sed ubicunque locorum sit, deprecatio erit injungenda; ita tamen, ut facta deprecatione publica uno in loco, ea alibi non repetenda sit; cum in uno loco concessa absolutio haud dubiè ad alia quoque loca extendenda. Vid. Carpz. *d. libr. 3. def. 92.* Si itaque remissio deprecationis publicae in alio loco fiat, futurum esse, ut plurimi delinquentes mutationem domicilii potius quam poenitentiam Ecclesiasticam electuri sint egregiè judicat. Dn. Stryck. *cit. loc.* (*ubi & in fine remedium Pastori suppeditat, si delictò in alio loco perpetrato, ibiq; deprecato, forsan scandalum metuatur.*) Dissidentem tamen allegat Rebhahnium in *Vericht von der öffentlichen Kirchen-Busse. cap. 28. pag. 138.* ejusque defensorem Carpz. *d. lib. 3. def. 91.* Sed quid si mulier dicat, se ab ignoto transeunte vi compressam esse, an huic poenitentia publica quoque injungenda? Respondemus distinguendo. Aut enim revera docet, se vim perpeßam esse; & deprecationi publicae nullus erit locus. Hac enim ob publica scandala, ex publicis delictis resultantia imponi solet; Quis verò vi stupratam delicti arguet, cum præter voluntatem stuprum ei fuerit illatum? Ex sola autem voluntate & animo delicta aßimari nullum est dubium. Vid. Carpz. *d. libro 3. def. 90.* approb. à Brunnem. *in Jur. Eccl. lib. 1. cap. 6. membr. 4. §. 11.* Aut verò vim sibi illatam non docet; & tunc, quia sua voluntate stuprata præsumitur, & inde scandalum oritur, deprecatione publica illud removeri debet. In quantum verò mulieris assertio, se vi coactam esse, attendenda sit. Vid. *prac. §. 17. quest. IV.*

Ultimò nunc in delictorum ordine portum & aram delinquentium collocamus, nempe Asylum: ad quod, quamvis non semper delinquentes, sed & innocentissimi confugere soleant, ut servi olim ad Principis statuum. Vid. *l. 2. Inst. de his que sunt sui &c.* ut plurimum tamen delinquentium receptaculum est; & hinc non immeritò delictorum agmen claudit. Queritur itaque: An asyla ignotis & peregrinis, qui alibi deliquerunt, immunitatem præsent; quod affirmandum ducimus. Cum enim ignoti & peregrini in loco aliquo commorantes legibus ibidem vigentibus teneantur. Struy. *Ex. 2. th. 12.* Quidni etiam ejusmodi immunitatis privilegio eos frui inde concludendum erit. Porro jubet Imp. in *Nov. 17. cap. 6.* ut omnes publicam fidem implorantes recipiantur, nullà discriminis inter personas mentione facta: ità tamen ut triginta dies concedantur, interea autem in jure eorum causa examinetur; si nocentes reperiantur, tunc demum ceu indigni jure asyli extrahendi erant; de quibus consule Cujac. ad *d. Nov. 17.* Sin verò innocentes essent, hóc asyli jure gaudere poterant. Conf. Rittershus. ad *Nov. part. 2. cap. 2. n. 17.* Si itaque causæ cognitio, & delicti pariter atque delinquentis inquisitio eorundem receptionem sequi debet, nihil refert, an noti an verò ignoti admittantur, cum illorum delicta atque conditio per inquisitionem à Magistratu successu temporis instituendam, satis superque innotescat. Hæc de asylis quæ nullis hac in re certis statutis nituntur: Sin verò in hoc juris articulo asyla expressis legibus circumscripta sint, ad solvendum ænigma Oedipo nequaquam opus erit, sed vel ipso Davo res clara patebit. Exemplum ejusmodi statuti circa asylum refert Orth. *de Jure Conduc. cap. 9. pag. m. 363.* in oppido, ad Illustr. Domum Limpurgicam spectante, Gaildorff, dicto: Cujus legum in quibus securitatis forma expressa, prima est; *ut eo jure frui desiderantes coram Illustr. Dominis Gaildorffæ & Schmiedelfeldæ residentibus vel eorum Officialibus se stant & facti speciem & circumstantias exponendo pro receptione in tutelam supplicent.* In hoc itaque asylo, cum personæ inquisitio receptionem præcedere debeat, non video, quâ ratione ignotus recipi & ejus securitate gaudere queat.

Ne autem quasi delicta sicco prorsus pede transeamus, sicque nostram *prac. sect. 2. §. 1.* traditam delinentionem claudicantem relinquamus; unicum saltem prodiit quasi delictum, hoc videlicet, quod nautæ, caupones & stabularii damnum teneantur refarcire, quod eorum ministri dederunt, nec se excusando liberare possint, si dicant personam servi & mores sibi fuisse ignotos. Explorare enim ipsis convenit ejus servus sit fidei. *h. un. §. 5. ff. furt. adv. naut. caup. & c. l. 7. §. 4. Naut. & c. ut rec. rest.* Probatum quoque audit axioma: familiae factum domini factum esse, Vid. Klock. *vol. 2. cons. 38. n. 27.* quod, si non in omnibus juris questionibus vim suam exserit, in hac tamen nequaquam fallit. Diversissima itaque conditio est inter hospitem recipiendum & famulum conducendum. *Illum* vel maxime ignotum, nullo modo respicere sibi licet: cum hedera suspensa & hospitii insigne tacite hoc promittat. Dn. Mevius. *part. 3. dec. 83. n. 1.* nec obst. *l. 1. §. 1. ff. Naut. & c. ut rec. rest.* Vid. Bruanem. *ibid.* Et optandum sane esset, ut adhuc hodie inter Christianos *φιλοξενία* seu hospitalitas, ignotos nimirum recipiendi, *i. Timoth. cap. 3. vers. 2.* præcepta, esset in usu, quæ apud Judæos ut olim vid. *Judic. cap. 19. vers. 17.* Sic adhuc hodie observatur: Quæque à Parentibus nostris aded religiose culta fuit, ut notum ignotumque quantum ad jus hospitii nemo discreverit teste Tacito. *de Mor. Germ. cap. 21.* Quam tamen hominum ignotorum fraudes & abominanda beneficiorum oblivio Republicâ Christianâ exterminavit, *Hunc* verò sibi ignotum impune recte potest, imò sibi prospicit, si ipsum recipiat. Quamvis autem hæc diversitatis ratio, quoad receptionem & conductionem appareat; in eo tamen pari passu ambulare videntur, quod caupo non tantum servi, vid. *d. l. un. §. 5. furt. adv. naut. & c.* sed etiam hospitis semel recepti factum præstare teneatur. *l. 1. in fin. l. 2. ff. Naut. & c. ut rec. rest.* Nec obst. *l. 6. §. 3. Eod. l. un. §. 6. ff. furt. advers. Naut. & c.* Vid. Pacium *Enant. cent. 7. quest. 57.* Nisi & hoc diversitatis subesse dicas, quod caupo ex hospitis facto tantum ad hæresse & ex quasi contractu; ex servi vero facto in duplum ex quasi delicto conveniri possit. *l. fin. §. 1. Naut.*

*Naut. &c. si rec. ref.* Quod an moribus adhuc obtineat, affirmat Brunnem. *ad l. un. ff. furt. ad v. naut. caup. &c. n. 5.* secutus Taborem *ad d. l. un. rb. 28.* Negat autem Struv. *Ex. 48. rb. 36.* præeunte Grænevveg. *de leg. abrog. h. t. aliorum Dd. agmine concomitante.*

SECTIONIS IV.

**U**ltimo nunc succedit loco hortulus herbis pariter atque flo-  
 sculis diversis, quibus aliena tellus siccum denegavit, reple-  
 tus: seu, ut clarius dicam: ultima sese hæc exhibet sectio,  
 quæ reliquos omnes casus, ad jus signorum pertinentes, qui clas-  
 si in præcedentibus Sectionibus tradita commode subijci non po-  
 terant, angusto suo sinu includit. Judicia bene constituta, quip-  
 pe juris atque justitiæ splendidissima Palatia familiam ducunt, &  
 principem suo jure occupant locum. Circa hæc itaque notan-  
 dum, quod ignotus actor non nisi præstitâ prius idoneâ cautione  
 admitti debeat; arg. *Auth. generaliter. C. de Ep. & Cler. ad exclu-*  
*endas nimirum calumniosè moventium intentiones. Nov. 112, c. 2.*  
*repetendas expensas, & in judiciis Saxonis ad instituendam recon-*  
*ventionem. Vid. Dn. Stryck, Us. mod. tit. qui satisd. cog. §. 5. &c.*  
 Quandoque tamen, si dixerit, se non valere fidejussorem dare, ad  
 juratoriam cautionem admitti debet, ne peregrini ignoti atque e-  
 geni, qui in fidejussoribus reperiendis plurimum difficultatis ha-  
 bent, suum in judicio persequi volentes, repellantur; *dicta aut. ge-*  
*neraliter. Conf. Faber C. lib. 2. tit. 39. def. 8. n. 4.* Et licet mori-  
 bus Sabaudicis vetus illa judiciorum quoad actoris in civilibus acti-  
 onibus satisdationem observatio exoleverit, teste Fabro *dl.* Secus  
 tamen est in criminalibus, quoad accusatorem peregrinum atque  
 ignotum, ne scilicet in calumniatoris ejusque vilissimi potestate sit  
 famam, dignitatem, fortunas omnes, imò vitam alicujus ipsam im-  
 pune lacessere. Faber *dl. tit. 39. def. 15.* Exteris autem illis atque  
 ignotis ad agendû in judicio admissis justitia promte administran-  
 da erit; & Judex ex officio suo suppletorio si non processum ordi-

inarium in summarium mutare, eundem tamen terminos augu-  
 stiores statuendo, in compendium quasi redigere debet. Vid. Dn.  
 Parentis Tract. de Off. Jud. suppl. part. 2. concl. VI. §. 2. Judici e-  
 nim pariter atque reo verba Thaidis apud Terent. *Eunuch. act. IV.*  
*Sc. 6. vers. 21.* animo volvenda sunt, cum dicit: *imò hoc cogitato;*  
*quicum res tibi est, peregrinus est: minus potens quam in; MI-*  
**NUS NOTUS,** *minus amicorum hic habens.* Dum autem cir-  
 ca actorem ignotum occupati sumus, dijudicanda quoque erit  
 quæstio: Si quis alieno nomine velut tutor, &c. agat, nec reus  
 ullam aliam exceptionem, ac litigandi rationem habeat, nisi quod di-  
 cat, actorem sibi esse ignotum; nec se scire, an talis revera esset,  
 qualem se perhiberet; hic verò se postea talem probet; an reus in  
 omnes litis expensas condemnandus sit? Quod cum Fabro in *C.*  
*lib. VII. tit. 18. def. 34.* affirmare non dubitamus. Porro circa  
 Advocatos observandum, quod ignotus splendidissimo ipsorum or-  
 dine excludatur. Quamvis enim patrocinandum officium absque  
 gravi causa nemini sit denegandum, quia exinde licita vitæ subsi-  
 dia sibi quis comparare potest per *l. 9. C. de Advoc. div. judicior.*  
 Nullus tamen dubito, quin in recensendis ejusmodi gravibus  
 causis hæc quoque reperiat, quod ignotus ab Advocatura sit re-  
 pellendus: imò hæc causa reliquas ferè omnes si non includit, pan-  
 nõ tamen quasi objectò eas velat. Eò enim ignotò aliæ quoque  
 causæ, quæ ipsum alias inhabilem reddunt simul possunt latere;  
 personam autem ejusque conditione penitus inspectà omnes simul  
 inhabilitatis causæ, quæ ex personæ conditione dependent, unò  
 quasi ictu concidunt. His accedit, quod nullus olim admittus fu-  
 erit, qui antea actæ non solum vitæ testimonium, ad abolendam con-  
 ditionis vilis aut planè servilis suspicionem; sed & à Jurisperitis  
 Præceptoribus suis testificationem insuper attulerit, se peritia ju-  
 ris esse instructum. *l. 11. §. 1. C. de Advoc. divers. judicior.* De mo-  
 ribus hodiernis vid. Mev. *part. 1. dec. 189.* Ordin. Cam. *part. 2.*  
*tit. 18.* Roding *ff. Cam. lib. 4. tit. 5.* (ubi *Additionator* praxin  
 Cameralem in recipiendis Advocatis refert) Brunneman. *add. l.*  
*11. num. 9. & 10.* Ubi tamen observantiam inculcat, quæ ab  
 hoc more recessit: quæ an ex aliis Judiciis quoque testimo-  
 nium ejusmodi sustulerit, nostrum non erit inquirere: Id  
 dubio



dubio caret, quod Judicia nostra & summa Dicasteria Patria ad-  
huc in quovis Advocato, ut vocant immatriculando, non contenta  
sint simplici de studiis testimonio, sed & insuper tale requirant,  
cui Licentia summos in utroque Jure capessendi honores expressè  
inserta sit; nisi pregnantibus ex causis privilegium accedat.

§. 2.

Actore autem ac Advocato perlustratis, testis examinan-  
dus venit, quippe qui causam in judicium deductam suo testi-  
monio adjuvare solet. Hic vel deponere debet in criminalibus:  
de quo, si ignotus sit, allegare sufficiet dispositionem *Constit. Crim.*  
*Carol. V. art. 63.* Unbefandte Zeugen / sollen auff ansechtung des  
Segentheils / nicht zugelassen werden / es würde dann durch den  
so die Zeugen stellet / statlich furbracht / daß sie redlich und ohne  
verleumbdt weren. Circa quem articulum quatuor notanda erunt.  
(I.) Qui ignotorum nomine veniant: Nos putamus, non tales,  
quibus *loga saltem ignota est:* ( ut venâ *Martialis lib. 12. Ep. 18.*  
utamur) hōc ignotorum nomine esse insigniendos; nec etiam tales,  
qui vel actori, vel reo, imō & Judici prima fronte ignoti sunt; alias  
vel virorum integerrimorum & in summa dignitate constitutorū,  
in itinere in testes vocatorum, testimonio fides detrahenda foret.  
Sed talem intelligimus, qui omnibus bonis est ignotus, quod  
non minori dedecori est, quàm si malis omnibus esset notus: &  
talem, de cujus nativitate, honestate, vitæ atque morum integri-  
tate; imō & officio ac artificio nulli testes deponere possunt.  
Vid. *Gothofr. ad Nov. 90. cap. 1. lit. r.* Quin & talem, qui, giudice  
in patriam, nomen, genusque vitæ inquirente, vacillat. Si itaque  
(II.) de tali ignoto constare possit, vel per alios testes, vel per  
testimonia, è longinquo licet vel ejus patria petita, actor quo-  
que sive producens hanc probationem suscipiat, & producti il-  
libatam fidem legitimè ( seu statlich ) adstruat, tunc, quia non  
amplius est ignotus, sed in judicis notitiam pervenit, talis testis  
in potestate omni exceptione major admitti debet. *d. art. 63. in fin.*  
Porro (III.) observandum, quod reus contra testem ignotum  
excipere, eumque repellere debeat. Hinc *Bullaus comment. ad*  
*Constit. Crim. d. art. 63.* statuendo, quod Judex in talem testem ex  
officio inquirere, eumque et si reus non excipiat, repellere te-  
neatur

neatur, sibi parum prædium *ex hoc art.* pronittere potest; Sed ad l. 13. ff. de Testib. confugere debet, si clypeo ære munito suam sententiam protegere velit. Denique (IV.) notandum, quod ignoti testimonium, licet plenè non probet, non levem tamen præsumtionem inducat, præsertim in delictis & factis, quæ sunt difficilis probationis, & si veritas aliter haberi nequeat. *arg. l. 7. ff. de Testib. l. 7. pr. §. 1. & 2. ad L. Jul. Maj. Stephan. Comment. add. Const. Crim. art. 66.* Hæc de depositione testium ignotorum in criminalibus. Sequitur nunc eorundem testimonium in causis civilibus. In his itidem ignotus *regulariter* non admittitur *arg. l. 22. §. 2. in fin. C. de Jur. delib. Nov. 73. cap. 8. & l. 3. §. 1. & seqq. ff. de Testib.* Si enim testium fides diligenter examinanda, & testibus non testimoniis credendum est; non video, quâ ratione hoc sine accurata personæ notitia fieri possit. Hinc & de Gallia Rege Ludov. XII. expressam hac de re Constitutionem extare testatur. Boër. *dec. 118. n. 4.* Et de Sabaudia constitutione testis est omni exceptione major, notissimus quippe Faber *in C. lib. 9. tit. 13. def. 2.* quâ cautum, quod Notarius, qui testes adhibet ignotos, non tantum multâ pecuniariâ; sed &, si delictum iteratum, publici officii interdictione; imò si dolò malò hoc fecerit, ordinariâ falsi penâ coerceri debeat. Non itaque opus est, ut distinguamus inter actiones personales & reales; & in priori casu ignotos admittamus, in posteriori verò rejiciamus; prout facit *Gloss. in d. l. 22. C. de Jure delib.* Multò minus, ut tribus tantum casibus ignotos excludamus, in reliquis verò admittamus; quo tendit Berlich. *part. 1. concl. 42. n. 13.* qui proinde dissentit. Dixi tamen supra *regulariter*: Exceptio enim videtur esse in *Novella 90. capite 1. §. 1.* Hoc enim, quo minus obstabit, explicamus de eo casu, si veritas aliter haberi nequeat: tunc enim inhabiles quoque admitti, supra jam evicimus per l. 7. ff. de Testib. cui adde *Nov. 1. cap. 2. §. 1.*

§. 3.

Perlustratis Judiciis, quædam ad jus, seu Politiam Ecclesiasticam spectantia subnectenda veniunt. In his velut inter stellas luna minores emicat generalis inquisitio Pastoris in ignotos, ne videlicet ullus reperiat Parochianus, quem Pastor ignoti titulo

lo

lo insignire queat. Boni enim Pastoris officium describitur, quod oves suas *nominatim* vocare, & ante eas, ut cum sequantur, vadere debeat, Johann. *cap. 10. v. 3.* Hocque inculcat tritissima Juris Canonici regula; quod non possit bona Pastoris esse excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit, seu non novit *cap. 10. X. de Reg. Jur.* (quamvis ob stare videatur *c. 17. dist. 32.* ubi expressis verbis dicitur: *Fœminæ nomen tuum noverint, vultum nesciant.* Nisi *hunc can.* paleata hedera in principio suspensa suspectum redderet.) Quomodo itaque sub *Pastoris* nomine ducet oves, quos quasve ignorat ducendos; quomodo reget, quos non novit; aut quomodo recte an obliqua incedant via perspetum habebit & judicabit? Nonne hac rerum facie quadrabit huc tritum illud: *Zhr seydt blinde Eiter!* exclamat Brunnem. *in Jur. Eccl. lib. 1. cap. VI. membr. 2. §. 4.* Hanc autem Parochianorum suorum notitiam Pastor ex diligenter instituta visitatione domestica optimè consequitur, quippe qua efficitur, ut non tantum personarum earumque mores, profectus, vitia, vitæque genera innotescant, sed & insuper vitis earum reprehensis, ad meliorem frugem redeant; virtutibus econtra laudatis & ipsa quasi stimulis acceptis in justitiæ tramite majori sollicitudine currant, & pariter alia eadem incedere via incitentur. Imò hujus visitationis domestica primus ferè videtur scopus, ut ignoti in pastoris notitiam veniant: Injungit hoc Constitutio apud Geneveses in *der Kirchen-Ordn. der löbl. Stadt Genf de A. 1795. tit. 1. c. 7. §. 55* verb. *in welcher visitation insonderheit gefragt werden sollen die Diener Dienem/und was frembde außländische seyn so in der Stadt ihren Aufenthalt haben.* Plures, quæ tamen scopum nostrum non ferunt, ex hujusmodi visitatione resultantibus utilitates, legas apud Brunnem. *d. l.* cum not. selet. Dn. Stryckii. Sufficiant itaque hæc de generali Pastoris Parochianorum suorum notitia; specialem, quæ in singularibus quibusdam casibus requiritur nunc videamus. Mendici, ut in aliorum, sic jam in nostro sese sistant lidemus. Hinc sibi ignoti sunt, Pastor prospiciat; Si enim pauperum inopiam providere Episcopi gloria est; per *can. gloria 71. caus. 12. qst. 2.* hocque ex fundamento causa miserabilium personarum ad Ecclesiam pertinent; arg. *cap. 1. X. de Cler. vel Monach.* Quomodo

do eâ frui gloriâ potest, si nullam pauperum notitiam habeat; quamque in distribuendis elemosynis adhibebit normam & regulam? certè injustissimam & pede varo simillimam: dùm indigentium familiæ, afflictiones cateraque majori sublevamine præ aliis dignæ miseræ ipsiùm lateant. Optimâ autem medelâ huic suæ ignorantie malo occurrit, si semper in promptu habeat non tantum generalem animarum sibi commissarum catalogum, vulgò **ein Seelen Register**: Sed & ex hoc particularem quoque afflictorum & pauperum indicem; **Ein Armen Register**. Imprimis verò eos respiciat pauperes, quibus ob vitæ dignitatem, quâ olim conspicui fuere, pudori est, ostiatim mendicando victum querere; quique, si fata eorum votis responderent, mallent ignoti manere, quàm in publico exponi, quos Brunnem. *Eccl. l. 1. c. VI. membr. 7. §. 5.* vocat **die Hauß-Armen**. De quibus & conferendus **Befold, in Thes. pract. voc. Haußarme Leut**. His etenim Pastori quoque ignotis, necessarium est, eos omnibus excludi elemosynis, singulis econtra includi miseriarum generibus. Hæc de mendicis atque egenis civibus. Sequuntur mendicantes peregrini, sique ignoti. Hos quoque notitiæ suæ Pastor subduci non patitur, compellendo nimirum eos, ut se convenient, testimonium, se elemosynis dignos esse, rogent. His itaque paupertatem suam docentibus, & testimoniis, aliisque quos secum testes circumferunt, libris, (quorum tamen frequentissima deprehenditur falsitas) sollicitè inspectis & examinatis, Pastor vel Magistratus cum demum publicis literis licentiam det stipem ostiatim colligendi. *Carpz. Jprud. Conf. lib. 2. def. 335. n. 9. 18.* Priscorum enim solum temporum ea erat felicitas, ut vel omiſſa prævia inquisitione pauperes poterant admitti, nec inculpandus **Rembertus Hamb.** & **Bremenium Archi-Episcopus**, dicere solitus: nullum inter pauperes discrimen esse faciendum, sed omnibus dandum; cum nobis ignotum sit, quò tempore, & sub qua specie Christus ad nos accederet. vid. **Hübners Historische Fragen von Bremen tom. 3. pag. m. 934.** Nostris verò diebus tutius est selectum & inquisitionem in mendicantes instituere; cum plurimi, iique robustissimi hunc acquirendi modum, qui elemosynis fit, facillimum iudicent, & ut imprudentes callidis verborum, arte ad miseriam ex-

citan-

citandam fictorum strophis fallant, id sibi solum negotii dari credant. Accedit quoque Faber *ad d. Remberti sententiam*, putans mendicos ignotos non adeo rigide examinandos esse *in Cod. lib. 1. tit. 3. def. 57. n. 1.* Cui subscribimus,

*simacii confecta suprema*

Ignoti nova forma viri, miserandaque culina  
 procedat, Virg. lib. 3. *Æn. v. 590.*

Non verò, si lacertorum robur, aut spiritu vini & cerevisiâ fragrans halitus in mendico contrarium suadeat. An verò hæc in ignotos inquisitio & testimonii datio Pastori, an verò civitatis Magistratui competat, pluribus disceptat Carpz, *d. l. 2. def. 336. ubi n. 5.* monet; ab utrisque testimonia esse danda, subordinatè tamen, ità ut pauperes literas, se nimirum beneficio dignos esse, à Consistorio vel Pastoribus datas Magistratui debeant insinuare, & sic collectio auctoritate Judiciali instituat.

§. 4.

Specialem porrò inquisitionem meretur infans ignotus baptizandus, ne pœnam Parochus incurrat, quam in sanctum baptismum reiterantes minatur *l. 1. & 2. C. ne sancti. bapt. iter.* Casum quem intendimus, optimè adumbrant (I.) liberi Cingarorum, (*Der Ziegeuner*) qui non baptizandi, si paululum adultiores sint; sed parentes prius de fidei articulis, & aliis circumstantiis rogandi erunt. Solent enim illi hoc Sacramentò ad quæstum abuti; & ex Patrinatorum multiplicatione lucellum quarere: quem abusum, ne Parochus suâ facilitate promoveat, utique cavere debet. (II.) liberi expositi, quorum parentes ut feritate audiunt noti, sic econtra personâ ut plurimum sunt ignoti, & per consequens infantium hujusmodi baptismus dubius (quippe de quo testimonium perhibere possent) atque ipsi liberi ignoti redduntur. Queritur itaque an liberi ejusmodi ignoti, si non constet eos baptizatos esse, denuo sint baptizandi. Quod affirm. *per can. 110. & 111. dist. 4. de Consecr. Brunnem. Jur. Eccl. lib. 2. cap. 1. membr. 2. §. 7.* quippe quod in casu dubio eligendum id, quod tutius sit. Suppeditant quidem Pontificii cautelam, ut hac sub conditione baptizetur; *Si antea baptizatus non sit: Layman. Theol. moral. lib. 5. tract. 2. cap. V. in fin.*

I. X. ubi est notandum, quod

eam tamen ut superfluan non sine ratione rejicit Dn. Stryck. *in not. ad d. l. Brunnem.* Requiritur autem ut prior baptizatio-  
 actus planè ignotus sit, nec ullò modò investigari possit: hinc  
 nec in tali casu properandum, sed longò tempore inquirendum,  
 utrum nemo penitus sit, qui testimoniò suò ignorantiam na-  
 scentis jurare possit. *arg. l. 2. d. dist. 4.* Sed quæritur num solè  
 matris schedulæ partui exposito adjectæ, quæ eum baptizatum  
 esse declarat, sit plena habenda fides? quòd cum Dn. Stryck.  
*cit. loc.* negamus. Si enim mater partum exponens ipsa in rea-  
 tu, & infamis est. *arg. l. 4. ff. de agn. vel al. lib.* Imò quando-  
 que ultima supplicii pœnâ afficitur. Brunnem. *ad l. 2. C. de In-  
 fant. expos. in fin.* Sequitur quod non possit fidem facere, cum  
 criminosos atque infames testes omninò reprobet *l. 3. pr. ff. de  
 Testib. can. 3. §. quia ergo Stephanus quest. 1. caus. 2.* Præfer-  
 rim cum non de bonis quibusdam secularibus, sed pretiosissimis  
 Spiritualibus res agatur, & Sacramentum ex Christi præcepto  
 infantibus communicandum concernat. Imò requirit *d. can. 115.*  
 testes certissimos, qui eos baptizatos esse sine dubitatione te-  
 stentur; quibus tamen sinistram ejusmodi matrem accensere o-  
 primo jure negatur. Contrariam tamen nostræ quoad schedu-  
 lam matris opinioni sententiam fovet Gisbert. Voet. *Polit. Eccl.  
 part. 1. lib. 2. tract. 2. sect. 3. cap. 2. quest. 10.* Hæc de infantibus  
 baptizandis; sequuntur itaque alii, ætate jam profecti ignoti  
 baptismum desiderantes, ut Judæi aliique infideles. De his *d.  
 can. 112.* disponit, quod & hi intrepidè possint accedere ad  
 consequendam gratiam, cujus in se nullum sciunt esse vestigium;  
 dummodò sollicita primù examinatio precedat, *vid. can. 60. d. dist. 4.  
 de Consecr. & alia observentur quæ supra de infantibus diximus.* At  
 dubium est, an ignotus ignoranter bis baptizatus, fiat irregu-  
 laris? quod neg. *arg. cap. 2. X. de Apostat. & can. distum est 8.  
 dist. V. de Consecr. Conf. Brunnem. ad tit. C. de sacr. bapt. iter.  
 n. 3.* Obstat quidem *can. quibus 117. dist. 4. de Consecr. & can. 5.  
 dist. 98.* & dissentiunt, qui hos sequuntur. Palud. *in 4. Sentent.  
 dist. 9. quest. 4. concl. 2.* & alii; sed hos omnes pleno cornu re-  
 futat Covarruvias *in Clem. si furiosus part. 1. in n. 8.* ubi simul  
*d. can. 117.* enucleat, eumque omni virium specie destituit. In  
 baptizatiois porò actu secundum obtinent locum Patrini, qui  
 Pastori

Pastori non debent esse ignoti. Cum enim Patrini adhibeantur, ut infantes baptizandos offerant, precibus Deo commendent, nomine eorum confessionem edant, & parentibus forsitan nimis mature discessuris, ad instituendum eos in fide, quam professi sunt salyfica, sese obligent, per tradita *Carpzov. Jurispr. Constat. lib. 2. def. 271. n. 1. 2. 3. conf. can. 7. 32. 74. 105. 150. & 138. d. dist. 4. de Consecr.* non video, quâ conscientia Pastor sibi ignotum admittere possit, cum talem forsitan incidere queat, quem impia ac dissoluta vita, fides orthodoxæ Religionis contraria, aliaque circumstantiæ testem in hoc Sacramento inhabilem reddunt ac reprobant. Hinc & alicubi locorum optime receptum, ut parentes ante baptismum Patrinorum nomina Ecclesiæ Ministro offerant, quo exinde de eorum scientia aut conscientia eo melius judicare queat, an admittendi sint, nec ne: testante Dn. Stryck. ad *Brunnem. Jus Eccl. lib. 2. cap. 1. membr. 2. §. 12.* Quod & præcipit *Constit. Eccl. Friderici Wilhelmi Saxonie Ducis, Anno 1643.* edita, referente *Brunnem d. sr. lib. 1. cap. 6. membr. 5. §. 7.*

§. 5.

Sacramento Baptizationis non aptiorem comitem adjugetur quam Eucharistiam Sacram: circa hanc unica sese discutienda offert quæstio. An ignoti, sive peregrini sive indigenæ admittendi sint? Respondemus distinguendo: Aut enim insulutatò Pastore debitâ tamen reverentiâ accedunt, & tunc nobis nimis durum videtur, eos ex hoc solo capite, quod ignoti sint, præterire aut indicio in aurem factò vacuos à mensâ dimittere, sed potius corporis & sanguinis Christi participes reddendi erunt: postea tamen de ordine in Ecclesiâ servando, cujus forsitan notitiam habere non potuerunt, & de testimonio fidei pariter atque vitæ antea exhibendo monendi sunt; cujus sententiæ Patro- num sistimus Gisbert. Voet. in *Polir. Eccl. part. 1. lib. 2. tract. 2. sect. 4. cap. 3. quest. 3.* Aut verò ante Sacræ Ccenæ usum ad Pastorem accedunt, illumque de administrando sibi Sacramento humaniter compellant, & hoc casu Pastori incumbit in eorum fidei professionem & fundamentum inquirere; testimonium insuper, quò ipsi fides fiat, accedentes orthodoxæ Religionis inuitos, & quantum ex externis judicari possit, vitâ inculpabiles esse, abs

I 2

illis

illis petere; quod testimonium discedentibus Pastor, ubi hactenus degerunt, hac de causa requisitus, impertire debet. Si itaque ignotus fidei suæ rationem reddat, testimonio etiam fide digno eam confirmet, nullum erit dubium, quin admittendus sit; Sin verò omni testimonio destitutus sit, ut puta si eo oblitus, (ut Studiosorum peregrinantium & Boëthorum seu Handwerkersegesellen plerumque supina est negligentia, ejus usum non considerantes) aut illud hostium vel latronum præda facta, vel alio casu perditum fuerit, tum circumspècti atque prudentis Pastoris arbitrio relinquendum censemus, an perscrutata solius fidei firmitate, neglecto verò testimonio eum admittere velit; an vero crassa ejus in fidei articulis ignorantia aliisque circumstantiis commotus, consultius ducat, eum à Sacræ Cœnæ usu eousque rejicere & arcere, donec firmiora fidei suæ jecerit fundamenta, & vitæ antea, & professionis in vera fide, & hinc subsequuta, ut vocant, Confirmationis, legitima attulerit testimonia. Et hæc asserita insigniter illustrat & comprobat Fürstl. Consist. Verordn. nung. Cassel. Ao. 1709. Quæ præmissis scandalis & periculis, quæ ex ignotorum admissione oriri soleant, in hæc concludit verba: Als wird auff Ihrer Hochfürstlichen Durchlaucht-unserer Gnädigsten Fürsten und Herrn / Gnädigsten Befehl / und in conformität des von andern benachbarten in dieser Sach gemachten guten Anstalts hiermit verordnet / daß künftigt keine fremde unbekandte Personen / es seyen Teutsche oder Franckosen / ohne Vorzeigung eines beglaubten Zeugnißes ihres Lebens und Wandels halber von ihren gewesenen Predigern und Seelsorgern / oder ehe sie mit denen Predigern / worbey sie das heil. Abendmal zu empfangen verlangen / nöthige und gebührende Unterredung gepflogen / so leicht nicht / wie bißhero etwan geschehen seyn möchte / admittiret werden. &c. quæ ordinatio ut eò certius, in ignotorum notitiam veniat, ejus contenta heic locorum singulis Synodus diebus è suggestu repetuntur. Sunt tamen quædam exceptiones quæ rejectionem ejusmodi tollunt, & ubi injuncta testimonii productio non tanta cum rigore requirenda. (1.) Si ejusmodi ignoti patria maximò locorum intervallò disjuncta & distita sit, ut non nisi maximis diffi-

cul-



cultatibus id afferri queat. (2.) Si sint pauperes, qui sumtus ejusmodi erogare non possunt, qui ad comparandum sibi è longinquo testimonium requiruntur: Et denique (3.) si periculum mortis instet, ita ut nihil morarum nec tendendum, nec Sacramenti talis exhibitio sit differenda; tunc enim & excommunicatus ante publicam in Ecclesiam receptionem, si modo privatim poenitentiam egerit, Sacramenti Corporis & Sanguinis Christi particeps redditur: plurimis id persequente Carpz. *7prud. Conf. lib. 2. def. 283.* Quidni ergo & ille, quem ad summum de crimine quodam suspectum tantum haberi queas. Accedit, quod Ecclesia Ministris solummodo concessum sit ex signis confitentium externis communicantium poenitentiam judicare, quæ signa in peccatorum confessione & promissâ vitæ emendatione consistunt. Vid. *1. Corinth. 11. v. 28.* & Carpz. *d.l. 2. def. 279.* Hæc itaque signa si adsint, non adeo rigorosè Ecclesiæ Ministri testimonii exhibitionem exigere debent.

§. 6.

Magna quoque circumscriptio atque inquisitio adhibenda est à Paracho, quem ejusmodi ignoti, ut prætendunt, conjuges Benedictionem Sacerdotalem ambientes adunt: Ille enim paratam sibi sciat pœnam, si sive auro sive imperitiâ suâ suasoribus ignorantium personarum stupra & meretricios amores nuptiis conglutinat; ut cum Comico *Andr. Act. V. n. 4. v. 10.* loquar. Hæsiatica enim agenda Ecclesiastica expressè requirunt, daß sich die Ehlich zusammen vertraute Personen dem Prediger anzeigen / ihre Namen auffzeichnen lassen &c. Und vor allen Dingen soll er von ihnen vernehmen / ob sie sich etwan mit Jemand anderwärts eingelassen / und wie nahe sie mit Blutsfreundschaft verwand seyn &c. *Hessische Kirchen Agend. pag. mih. 191. nec non pag. 193.* discretis verbis jubetur; da auch außländische und Unbekandte Personen an einem Orte gefreyet hätten / die sollen nicht auffgefündiget / vielweniger zum öffentlichen Kirchengang zugelassen werden / Sie bringen dann gewisse und glaubwürdige Zeugniß / daß Sie ledig und frey / und mit keiner andern sich eingelassen oder verbunden haben. Causæ, quas indagare debet, variæ sunt. *Prima* inquisitio erit in Religionem & vitam antea actam, ne vel sit hæc

hæreticus vel excommunicatus & inde scandalum exoritur. *Secunda*: An arctius, quam par est, sanguinis vel affinitatis vinculum inter eos intercedat. Quamvis enim nuptias jure Gentium & Divino incestas, Benedictione tamen Sacerdotale accedente & copulâ subsecutâ refragantibus conjugibus non rescindendas sed tolerandas esse nimis audacter asserat Struvius *Ex. 29. th. 50.* imò Struvio quoad incestum contra gradus quosdam *Lev. 18.* & sic Jure Divino prohibitos, subscribit Dn. à Lyncker. *Consil. 126.* & Carpz. *Jpr. Consist. lib. 2. def. 99.* Hanc tamen sententiam ex ratione potissimum Juris Divini optimè reprobatur Brunnem. *Jur. Eccl. lib. 2. cap. 16. §. 27. ibique Dn. Stryck. in not. conf. Dn. Thomaf. in Jpr. Divin. lib. 3. cap. 3. §. 230. & seqq.* *Tertia*: An priora celebrata sint vel sponsalia vel matrimonia; quibus imprudens talis Pastor præjudicium facere, easque personas in irreparabile damnum alias conjicere valeret. Ut itaque ignoti fide digna secum adferant testimonia, vel his deficientibus quandoque juramento id asserant, pernecessarium erit. Sola enim trina ignotorum è suggestu proclamatio res est admodum fallax, dum ad personarum, quarum interest, noticiam forsan venire nequeat; & hinc quoque ipsis præjudicare non poterit, ut supra *Seçt. 1. §. 5.* excussum est. Et denique *Quarta*: An absque consensu parentum, & eorum, qui parentum loco sunt, ut avi, contrahant. Jure quidem Civili per consummationem matrimonii parentibus non consentientibus nullum fit præjudicium: Denegatus enim parentum consensus nuptias filii, qui adhuc in *sacris paternis* erat, ut vocantur *l. 7. C. de Natur. liber.* unâ cum liberis faciebat illegitimas, *pr. Inst. de Nupt. l. 25. ff. de Rit. nuptiar. l. 12. C. Eod. Struv. Ex. 29. th. 23.* Jure tamen Canonico & moribus nostris matrimonium abs parentum consensu contractum & consummatum non facile rescinditur, per *can. 2. qst. 2. caus. 27. & cap. cum causam 6. X. de Raptor. & c. Conf. Carpz. Jpr. Consist. lib. 2. tit. 3. def. 60. totâ Struv. d.l.* (quamvis si rem ex principiis Juris Naturæ vellemus deducere, omnino statuendum, parentum consensum de necessitate non esse.) Quod tamen secus est in sponsalibus, quippe quæ consensu parentum non accedente nulla existimamus. *can. l. 3. 4. qst. 5. Caus. 30. c. Honorantur 13. qst. 2. caus. 32. etiamli*

etiam si juramento invicem sint confirmata, arg. c. *inter cetera* 22. qst. 4. *caus.* 22. & *cap.* 18. §. *si falsam.* X. *de jure jur.* Carpz. *dd.* *def.* 58. Summâ itaque injuriâ ejusmodi Parochi parentes afficiunt, dum ipsis potestatem matrimonium perfectum rescindendi auferant, quæ potestas, si sponsalia sola mansissent, ipsis haud dubiè adhuc salva fuisset. Putat quidem Gisbert. Voetius *Polir. Eccl.* *part.* 1. *lib.* 3. *tr.* 1. *sect.* 2. *cap.* 1. §. 1. qst. 6. connivendum esse ignotis, si nulli adsint, qui de consensu quid testari possint; nec sponsus expensas sustinere queat, quæ ad procurandum de hoc parentum consensu testimonium requirantur; imò ex non-cura parentum circa liberos, aut ex permissis ad loca distita peregrinationibus, aut ex profectioibus in militiam tacitum quasi ac implicitum eorum consensum esse præsumendum, & analogum herorum aut hospitem aut Præfectorum militarium consensum, aut saltem eorundem testimonium exquirendum esse. Sed septem placent Turri clypeum, quo suam opinionem securam reddere possit, non video. Dixi supra *moribus*; sc. communibus: si enim expressum hac de re statutum adsit, quale de Regno Prussiæ & ditionibus Brandenburgicis nobis exhibet Dn. Stryck. *de diss. spons.* in *Append.* §. IX. res in aperto est. Conf. *ad tot. h. mat.* Excell. Filium, Dn. Joh. Sam. Stryck. in *Diss. de reliq. sacram. in caus. matr.* *cap.* 3. §. 34. 35. ubi non sine ratione monet, sententiam eorum, qui putant per copulationem Sacerdotalem parentibus jus eripi posse, sapere fermentum Pontificium; quasi matrimonium sit Sacramentum, & hinc nec dissolvi possit.

## §. 7.

In concedendis Honoribus Academicis quoque cautè erit procedendum, ne ad hos ignoti admittantur, & alium cum hyacinthis in eundem fasciculum coëat. Quamvis enim ejusmodi Dignitates atque Gradus hæc potissimum causa excogitati videantur ut certa doctrinæ & eruditionis multò sudore acquisita præmia & remunerationes existerent, aliique ad sectanda bonarum artium studia prolicerentur; & ita omni personarum respectu seposito solius eruditionis rationem in conferendis ejusmodi Gradibus habendam esse quis inde concludere possit. Hæc tamen non obstant, quo minus ille, qui Honores Academicos confert, uno qua-

quasi oculo studiorum profectus, altero vero personæ qualitates  
 lustrare debeat, & naturalium splendorem, vitæ integritatem, mo-  
 rumque honestatem eruditioni, quantum ejus rei fieri potest, ad-  
 jungat? ne honorum aditus atque portæ hominibus non tantum  
 trivio conceptis & stercore educatis, sed & illis, qui omnia repa-  
 gula juris, pudoris & officii perfringere, cæteroquin eruditione  
 aliquali tinctis, pateant. Hoc enim nihil aliud esset, quam mo-  
 nile aureum porci rostro aptare; si cum S. Scriptura loqui liceat  
*Proverb. cap. XI. v. 22.* Excluduntur hinc plurimi, quos proinde  
 longo agmine recenset Cæl. Iterus *de Grad. Acad. cap. VII.*  
*§. 2. 3. & seqq.* quorum tamen fere omnium rejectio ex diligenti  
 personæ inquisitione dependet. Et hinc Promotores caveant, ne  
 ridiculam quondam Doctorum Pisanorum excusationem repe-  
 re necesse habeant, quippe qui Ferdinando, Magno Florentiæ  
 Duci, eos per literas increpanti, inque eos stomachanti, quod  
 ausi fuissent in suum atque illius Academiæ dedecus hominem ri-  
 diculum & in aula sua ludibriò habitum, etsi alias satis doctum,  
 in Doctorum numerum cooptare, ingeniosè scilicet! responde-  
 runt: *SIBI IGNOTUM FUISSE*, quid illic esset hominis, ve-  
 rum jam diu neminem illuc venisse, eum enim locum, qui pe-  
 riculò factò, eò dignior inveniretur: referente id Jan. Nic. Ery-  
 thræo. *Pinacothec. alter. XXXIII. pag. 111. & seqq.* Optimum  
 itaque Illustris Universitatis Gieslensis statutum est, cujus ex-  
 pressa sunt verba: *tit. 69. §. provideant 4. Provideant igitur The-  
 ologi, ne IGNOTUS. infamis, indignus, inconstans &c. Sed ut  
 doctus, dignus, integræ vitæ, notæ eruditionis & ab extraneis bo-  
 nò testimonio instructus sit &c. quisquis ad hunc gradum aspirat.*  
*Confer. tit. 65. §. 13.* ejusdem statuti: metuendum enim est, ne  
 ejusmodi ignotus vel Deum patribus ignotum veneretur vid.  
*Daniel. cap. 12. v. 38.* vel ad Atheniensium altare Deo ignoto ere-  
 ctum, procumbat, vid. *Act. cap. 17. vers. 23.* cujus aræ auctorem,  
 suavi commento, Dionysium Arcopagitam, cujus fit mentio *seq.*  
*vers. 34.* facit, seu quod idem est, fingit Hrosvite in *Historia S.*  
*Dionysii in princ.* Sed quid si ignoto tali facinoroso & indigno Gra-  
 dus Academici collati sint, an innotescentibus postea facinoribus  
 rursus degradandi erunt? Examinat hanc quæstionem eruditè, ut  
 solet

folet, *Inter. d. tr. cap. VII §. 16.* ubi exempli notabilis meminit; Studiosi nimirum Joh. Christ. Castricii, qui ob commissum Tubingæ furtum virgis ibidem cæsus & Academiâ exclusus se **R**ostochium contulit, ibique receptus, & Magisterii Gradu dignus judicatus, compertis tamen facinoribus repulsus fuit: & concludit tandem Iteris affirmando: partim, quod Gradibus Academicis nequaquam tanta vis adscribi possit, ut cum infamiâ eximere queant, quem jura famosum reputant; partim verò, quod suppressâ famosâ suâ conditione, per sub & obreptiones ejusmodi Gradus consecutus fuerit, quarum tamen lucrum sentire jura non permittunt. *arg. l. 10. §. 2. ff. de in jus voc.*

§. 8.

Divertendum nunc paucis ad antenissima Juris Gentium vetera, ut nimirum excutiamus quæstionem; an jure Gentium teneamur Ignoriam sepelire? Affirmat **Q**uintil. *Declam. V.* cum dicit: *Hinc & ille venit affectus, quod IGNOTIS cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantumlocunque veneretur aggestu.* Item *Declam. VI.* & **I**GNOTO quoque corpori publica humanitas quasi quasdam fecit exequias. &c. & in seqq. *Nobis verò adversus exanimis genuit [ rerum natura ut ex connexionem patet ] non solum miseracionem, qua cogitationi nostra subit, sed etiam religionem. Inde IGNOTIS quoq, corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura: inde injecta ab alienis humus. Consentit Senec. lib. V. de Benef. cap. 20. At si [verba ejus sunt] terram IGNOTO mortuo injecti, nullum habeo hujus officii debitorem, in publicum humanus.* Sibi tamen parum constans in *Excerpt. de remed. forruit.* Si modo ea Senecam agnoscunt auctorem, quod dubium facit *Gruter. ad d. loc. Conf. Gothofr. ad l. 14. §. 10. ff. de Religiosis.* Subscribunt quoque huic sententiæ *Felman. de Cadav. in sp. cap. X. n. 4. & cap. 16. n. 1. & 5.* Et in genere *Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 19. §. 1.* & *Kulpis in not. ad h. l.* Imò si auctoritatibus & præjudiciis non verò rationibus pugnandum esset, vel ducenta allegari possent: quam tamen Spartam jam occupavit *Dempster. in Paralip. ad Rosin. Ant. R. lib. V. cap. ult. in pr. & seqq.* & *Grotius cit. loc.* Sed his non obstantibus

K

bus

bus negativam tuebimur sententiam : parum interesse afferentes supra terram homines, an infra putrescant, & cum *Macerate* tumulum non curantes, quia sepelit Natura relictos. Nullum enim videmus principium obligatorium, ex quo hæc sepultura clarè & solidè demonstrari potest. Sive enim ex hominis sanctimonia & dignitate sepulturam deducere vellemus; ut facit Grotius *d.l. n. 4.* prius determinandum erit, utrum dignius homini sepulchrum à vermibus atque serpentibus devorari, quam ab avibus & quadrupedibus præstantioribus; vel sole maceratus & imbre multadie liquefactus putrescere & in terram resolvi? Et hæc ratio apud solos antropophagos jus Gentium erit in usu, qui dignissimum cadaveri assignant sepulchrum, Vid. omnino Dn. Thomasi *pprud. Div. lib. 3. cap. 10. §. 17. & passim.* Denique notandum, hominem nullam dignitatem præ aliis animalibus possidere, nisi ex hoc solo, quod præditus sit anima rationali, à Creatore ad sui imaginem efficta: hæc sola est, quæ dignitatem ipsi conciliat, cum corporis machina nullam in se prærogativam præ corporibus brutorum habeat, sed tantum à directrice mente, quæ si corpore excedat, dignitatem quoque & prærogativam evanescere necesse est. Nec obstat *Gen. 1. v. 27.* Sive porro ob spem resurrectionis sepulturam deberi dicamus. Vid. Grot. *d. 6. §. 2. n. 3.* tamen nec hoc stringit; partim quod hoc argumentum non à voluntate Dei ipso opere & facto, sed verbis tantum declarata seu revelata, petitur est, & sic Ethnicis non promulgata, adeoque eos non obliget; partim quia nulla consequentiæ necessitas subest: aliàs enim statuendum, homines naufragos à piscibus devoratos vel à feris dilaniatos resurrecturos non esse, vid. Dn. Thomasi *cit. l. §. 13.* Nec etiam illi jugulum premunt, sed cum Regulo apud Plinium vel genu, vel tibiam, vel talum, qui ad humanitatis officia provocant. Cadaver enim nec ullius juris nec obligationis nec officiorum virtutis capax est; hinc erga umbram hominis humanitatem exercere vanissimum est: ut omitteram, quod ipsa variatio apud Grotium *cit. n. 4.* ex quoniam præcepto de officiis humanitatis deducenda sit hæc de sepeliendis mortuis conclusio, incertitudinem demonstrationis, ne dicam falsitatem quandam, quemadmodum scenum in cornu, ostendit

dat. Nec obstant in genere nostræ sententiæ *Genes. 3. v. 19. Tobia 12. vers. 12. & 13.* Sequitur itaque ex his obligationem humani cadavera nullam esse, nisi in ordine ad alios homines viuentes; ad operiendam nimirum fœditatem, subtrahendam dolori materiam; ne quoque ex cadaverum putrefactione nares ingrato odore afficiantur, vel morbi ex corruptione aëris exoriantur, vid. *Felman. cit. cap. X. num. 10.* Et has ob rationes in Republica Christiana Princeps [cujus arbitrio sepulturæ determinatio relicta est] optimè facit, si cadavera terræ, quippe qui sepeliendi modus antiquissimus & maximè conveniens, mandare jubeat; quales & mores totius orbis Christiani sunt: optimè quoque facit, si pauperem ignotum, in cujus funus nemo impensas erogare vult, sepeliendam curet; idque vel ex Fisco, vel ex collectis hac de causâ institutis. Ubi enim sepeliendi consuetudo semel in Republ. invaluit, ibi ignominiosum habetur, si quis terræ non mandetur; quemadmodum & Deus invisus sibi Regibus apud *Jerem. cap. 22. vers. 19.* a fini sepulturam minatur; quâ ignominia, ne ignotus, ob hoc tantum, quod pauper sit, immerito afficiatur, Magistratus providere debet.

## §. 9.

Ex eodem Gentium Jure quoque definienda erit questio: an ignotus gaudeat securitate territoriali & jure transitus? Quod affirm. [I.] quia id, sine quo jus à natura concessum exerceri nequit, juris Naturæ est; Atqui commercia à jure Naturæ concessa sine transitu libero non possunt exerceri; sequitur ergo ex mediâ necessitate, quod transitus sit Juris Naturæ & omnibus hominibus competat. [II.] quia ipsa societas humana non possit custodiri, ejusque paucissimi actus exerceri, nisi invicem commutare & convenire hominibus liceat. [III.] quia jus transitus non est nullius, sed commune omnium hominum; adeoq; occupatô licet à Principe territorio, non occupari, nec humano generi semel à natura concessum auferri potuit. Concessô itaque omnibus hominibus transitus jure, non video, quò prætextu ignotus excludi possit. Porro nec etiam quis, eò solô quod ignotus sit, amittit securitatem, quam jus N. tribuit omnibus iis, quibus communicatio seu commercium apertè vel tacitè promissum est; jus enim Naturæ cognationi inter homines constitutæ conse-

quens hōc fecit, ut homini hominem insidias struere nefas habeatur. *l. 3. ff. de Just. & Jur.* Ignotus itaque, quia potentis transeundi & commercia exercendi æque ac alius homo instructus est, iis quoque, ut à natura concessis uti potest, usque dum appareat lex, quæ istam facultatem & potentiam in ignoto restringat; cuius tamen legis prohibitionem nullus hucusque demonstravit. Conf. Excell. Dn Homberg, Prof. hujus Univ. Celeberr. *Hypomn. Jur. Gent. cap. 2. tit. 7. §. 17.* ubi & alios fontes, ex quibus hic transitus derivari potest, ostendit. Quamvis autem antiquis temporibus, & turbulento Germaniæ statu, è transeuntium salute fuerit, Salvum Conductum petere; vid. de Electoribus eorumque Legatis dispositionem A. Bull. *cap. 1.* Sic de aliis Principibus audi Electorem Saxoniam apud Hordleder, *de Caus. Bell. Germ. cap. 9.* ubi dicit: mit Greuel und Gewalt durchziehen / da nemlich ein Fürst durch des andern Land reisen will / und hat denselben Landsfürsten nach Gewohnheit des Reichs nicht darum begrüßet noch angesucht. De Mercatoribus vid. *Recess. Imp. de Ao. 1548. §.* ferner zu mehrern. & *Rec. Imp. de Ao. 1559. §.* damit dann ic. & hunc Salvum Conductum aliquis personæ notitia præcedere debuerit. Hodiernis tamen moribus fiducia Pacis, securitateque temporum freti vel paucissimi de petente innoxio transitu sunt solliciti, sed nuda Domini territorii patientia transeuntibus amplissimi diplomatis vices & securitatem præstat. Si itaque ignotus solvit vetigalia, quæ soli publici ratione à transeuntibus pro itinerum securitate præstantur; nihil erit, quod ipsi objici poterit. Vid. von Hörnick *de Regal. Post. Jur. cap. 18. theor. 4. n. 2.* Conf. *theorem. 2. n. 1.* Imò minus remanet dubii, si ignotus talis utatur Postis, quæ, ut pote publicâ auctoritate nitentes, publica quoque securitate fruuntur; & in quibus personarum notitia non sollicitè inquiratur, quod vel inde patet, quia Principes & Magnates, si velint ignoti [ seu quod idem est, *incognito* ] iter conficere, equis cursoriis uti solent. Non autem tenetur Princeps ignotis tempore pestis transitum concedere, sed vel ejus prudentiæ convenit tales procul à finibus territorii eoque arcere, donec indubitata testimonia se ex locis lue pestifera infectis non venire, vernaculè



culè Gesundheits-pässe] producant, iisque fidem faciant; Imò non tantùm ob ingruens pestis contagium, sed & ob alias quã plurimas causas in transeuntis nomen atque conditionem Princeps inquirere potest; Et hoc si faciat, ignotus transiens se manifestare tenetur, nec excipiendo, se ignotum velle manere, liberabitur: Et, si renitatur, non tantum sese suspectum reddit; vid. Brun. *ad C. tit. de Curs. publ. n. 12.* Sed & Princeps in ejusmodi refractarium potest animadvertere, arrestò cum detinere; arbitrariã penã punire vid. Christin. *dec. 156. n. 15.* vel securitatem territorialem planè denegare. Non levis enim præsumptio militat contra eum, qui lucem fugit, & ignotus vult peregrinari; illum nimirum eorum catalogo accensendum esse, qui optimò maximò jure ejusmodi securitate privantur. Hinc notandus & usus der Thor-Zetteln; in quibus nomen, patria &c. transeuntis consignatur, & vel Gubernatori bellico, vel Magistratui, vel utrisque vespertinò tempore exhibentur. Quamvis non negandum, quod in urbibus minoribus & munitione non cinctis, ubi examine non adèdè rigoroso inquisitio in ignotos fieri solet, ejus nullus fere effectus sit, cum plerique transeuntium ignota sibi fingere soleant nomina, (quod de *Angelis* prohibent LL. Francicæ 1. cap. 16. referente Gothofr. *ad l. 30. ff. de Pœnis lit. a.*) Et licet nominis mutatio, si sine dolo & non in alterius fraudem fiat, nullam mereatur pœnam vid. Majorag. *integr. Orat. X.* approb. à Puffend. *de Jur. Nat. lib. 4. cap. 1. §. 4. in fin.* Faber. *in C. lib. IX. tit. 16. def. 1. n. 1.* Hoc tamen nostro casu falsum committi nullus dubito arg. *l. 13. pr. ff. ad L. Corn. de fals.* Conf. Struv. *Ex. 49. th. 72.* Feltman. *de tir. Honor. lib. 1. c. 86. §. 10.* ubi & addit, quod, si dubitetur de iis hominibus, qui titulos ignotos nobis usurpant, illi sisti queant, donec caveant: & præjudicium de quodam ignoto, qui se jactabat sanguinis necessitudine tangere Turcarum Imperatorem, subneçcit. Id adhuc, quoad transitum exercitus per Imperii nostri territoria notandum, quod copiarum Duces non debeant esse ignoti; Sed sese manifestare teneantur juxta des Heif. *Nöm. Reichs Reiter-Bestall. anni 1570. art. 5. verbis* In den Anzügen sollen Obrister und Rittmeister schuldig seyn die Reuter also bald in Rotten außzuheilen / und bey jeder Rotten einen Rottmeis

Notmeister oder sonst eine gewisse Person / und an allen Enden  
 und Orten / da sie durchziehen und geföhret werden / des Notte-  
 meisters oder zugeordneten Person NB. rechten Nahmen angeben  
 und verzeichnen lassen / damit auff den Fall / da etwan durch die  
 Reuter den Unterthanen vergewaltigung und Schaden zugeföh-  
 get wird / und dagegen Klage vorfiele / man wissen möchte / wen  
 man darum anzusprechen / und anzulangen habe. *Hac quidem  
 de vivis ignotis transeuntibus. In mortuis verò transeventibus  
 aliarum videtur facies. Sive enim jus Civile spectemus, mortuo  
 ullò modò esse ignotos vix possibile erat, dum non poterant  
 transvehi sine permisso eorum, quibus permittendi jus erat, ut  
 D. Marci rescripto cautum est. l. 3. §. 4. ff. de sepulc. viol. quod  
 explicatur per l. 8. pr. ff. de Rel. & sumi. fun. ubi expresse hoc jus  
 Pontificibus vindicatur; ità tamen, ut tollere saltem mortuos,  
 permittere possent: Præsès verò Provinciæ vehentibus jam mor-  
 tuis prospiceret, ne prohibeantur, quò minus via publica trans-  
 ferantur l. 38. ff. Eod. Sive etiam mores hodiernos: nam nec hi à  
 jure Civili abeunt, quippe requirentes, ne cadavera per alienum  
 territorium insalutato Principe, aut judice merum imperium ha-  
 bente, vehi possint. His enim constare debet, annon forsàn ho-  
 mo occisus vehatur per territorium; hinc & literis, seu instru-  
 mentò publicò suæ assertionis fidem corroborare quis debet, quo-  
 nam mortis genere perierit. Excell. Stryck. not. ad Schütz comp.  
 Laut. tit. de mort. infer. Conf. Feltman. de inspic. cadav. c. 39. §. 7.  
 §. 10.*

Disputationem equis concitatis ad finem currentem, nunc  
 paululum morantur cursus publici, quos hodie vocamus Postas.  
 Circa has controversitur; an Ignoto liceat Postis publicis uti? à  
 parte Negantium stat. v. Hörnick / de Reg. post. Jur. cap. XV. theor.  
 38. n. 2. ubi expresse dicit: non ignotis sed optimè cognitis tantum  
 cursu publico gratificandum esse; & invehitur in illos, qui cui-  
 cunque cursu publico uti lubitum esse opinantur, ne scil. Princi-  
 pum Ministris, Legatis &c. festinantibus remora injiciatur, dum  
 alii equis cursui publico destinatis vehantur. Et cap. IX. n. 4. ubi  
 perquam necessarium arbitratur, ut in eos, qui postis seu cursu  
 publico usuri sunt, advertatur, atque quam rem gerant, studio-  
 se

se prudenterque investigetur: ubi & praxin hac in parte Aulæ Cæsareæ laudat. Verùm, quemadmodum facili negotio cum dict. v. Hörnick *cit. theore. 38.* transigimus, quod Postarum Præfectus Principis sui Ministrum, cum ignoto quodam concurrentem, huic præferre debeat, si utrisque eodem momento prospicere nequeat: dictæ tamen assertioni, quod *bene cognitis* tantum sit gratificandum, non verò *ignotis*, mores hodierni plenò ore reclamant, & satis evincunt, quod Postarum Præfectus omnibus etiam penitus ignotis, qui cursu publicò advehuntur, equos suppeditare teneatur. Et, si unquam ignoti à Postarum commercio exclusi fuerunt, hoc forsàn factum fuit ante *citati v. Hörnicks* tempora, quibus equi non tantà copia à postarum præfectis alebantur, quantà hodiè, ubi non tantum exactior cursus publici dispositio, sed & equorum plurimi in omnem horam parati vectores expectant. Imò hæc ignotorum exclusio locum habuit primis illis temporibus (de quibus vid. *cit. Hörnick cap. 12. theore. 2.*) cum Reges & Principes publicos cursus in suæ tantum publicæque rei commodum instituerunt, nec ulli privato sine speciali licentia illis uti licuit: quod tamen hodiè, ubi privatorum negotia etiam inconsulto Principe equis cursoriis expediri solent, secus est. Porrò circa Postarum Præfectum quaritur; an teneatur, si ab ignoto literas acceperit, quibus libellus famulus seu pasquillus inest? & R. Negando. Cùm enim literas resignare earumque contenta perlustrare ipsi non permissum, nihil est quod ipsi imputari possit, nisi quod non sit omniscius; propter hanc verò ignorantiam præfectum talem damno affici debere, nullus, cui vel atomus cerebri est, statuet. Idem dicendum erit, si literas peste vel veneno infectas ab ignoto acceperit; quod non multos ante annos Inclito Heroi EUGENIO, Sabaudia Duci, Flandriam subjuganti, & Patria hostes fundenti contigisse, ex fastis hebdomadalibus didici. Facile itaque excusamus Præfectum Postarum ab ignoto literas accipientem: Sed in iis ignoto exhibendis magis salebrofa terenda via. Quaritur nimirum; An Præfectus à verò domino conveniri possit, si ignoto alii, quàm ei, ad quem literæ vel res directæ sunt, bonâ fide tradat? Quod itidem regulariter negamus: Præeunte Excell. Dn. Sam. Coccejo. *in disp. de Regal.*

*Regal. Post. Jure cap. 2. §. 6.* Non enim (1.) abs Præfecto exigi potest, ut hominum omnium notitiam habeat. Nec etiam (2.) legibus ipsi inquisitio in ignotos injuncta. Præsertim cum (3.) ejusmodi percontatio, quia res moram ferre respuunt, difficulter procederet. Cum enim veritas absque articulo examine in lucem protrahi nequeat; hoc abs Præfecto postulare nimis durum; imò impossibile esset *arg. l. 1. pr. in fin. ff. de Exerc. act.* Accedit (4.) quod verus dominus, ad quem literæ vel res spectant, moram in requirendis suis literis vel rebus committere videatur; hinc sibi potius quam Præfecto hoc imputare debet, & hunc casum ferre tenetur. Excipiendum tamen putamus casum, si Præfectus literas vel res ad Principem, Comitem, vel Magnatem quendam directas ignoto cuidam, quem fœditas vestitus ab aliis distinguit, nec qui reserariam domini sui vestem (vulgo *die Liebercy*) gerit, literas vel res extradat; præsertim si Præfecto color, quem in vestibus famulorum selegit dominus, notus sit; tunc enim sine inquisitione exhibens à culpa quadam se excusare non poterit, cum ex ejusmodi ac similibus argumentis, quæ prudenti ejus circumspeditioni relinquuntur, falsitatem deprehendere & potuisset & debuisset. Præfecto itaque Postarum suasor essem, velit literas vel res præsertim pretiosas, ad Illustres personas, quin imò & alias directas, ignoto sibi suspecto non tradere, sed, si præsens in urbe dominus sit, ipsi per Ministros suos domesticos exhibendas curare, ne postea patiatur quæstionem, partim cur homini ignoto, & ob pannosam vestem sibi suspecto literas vel res pretiosas perferendas crediderit; partim verò quod ignoto tradiderit; Nisi enim onus probandi, quod videlicet cuidam sibi ignoto revera dederit, Præfecto injungamus, ad fraudes neciendas ipsi latissima patebit area, dum sub hoc prætextu & excusatione plurimas res veris dominis intervertere possit. Nec quoque semper Postarum Præfecti juramento hæc probatio, præsertim si sint res pretiosæ, committi debet; cum vel eorum aliqui sint, qui cœcum sordidò perjuriò fatigare non dubitaverint: (quamvis concurrentibus quibusdam circumstantiis Judicis arbitrium non velimus exclusivum;) sed vel per testes, vel alio legitimo modo probationem perficiet. Denique non quidem (uti ex prædictis constat

constat) abs Praefecto exigi potest, ut instituto examine in igno-  
 tos inquirat; optimè tamen facit, si paucillum opera & tem-  
 poris ejusmodi inquisitioni impendat, & ignotorum mendacia  
 subtiliter limet; ne & vero domino res intervertatur, & Praefec-  
 ctus inanibus litium sumptibus ac expensis implicetur: in quo  
 examine non ultimum erit querere ex eo qui se dominum lite-  
 rarum vel rerum jactat, quale sibi sit prænomen? Si enim tunc  
 dubius hæret, imò trepidat & ad omnia verba ceu fulgura pal-  
 let vel nomen dicit, quod cum nomine literis forsitan per mo-  
 dum tituli inscriptò non conspirat, certissimum erit Stellionis  
 indicium. Conf. festivum ad h. mat. locum apud Plaut. in Pseud.  
*Act. IV. sc. 2. vers. 25. & seqq.* Quamvis & aliarum conjectura-  
 rum remigio Praefectus rem gerere possit.

§. II.

Ultimum nunc ac per modum Corollarii veni, quod aliàs  
 à salutantibus primò infigitur conspectu, nempe *Osculum*.  
 Circa hoc queritur: An satis castitati atque honestati conve-  
 niat illa Nationum quarundam consuetudo, quã oscula pere-  
 grini quoque & *ignoti* jaciunt alienis uxoribus, viduis, vel vir-  
 ginibus, quando humanitatis causã eas salutant? quod cum  
 Wendelin. in *Philos. mor. lib. 1. cap. 17. §. 26.* negandum duci-  
 mus. Si enim credimus Phavorino apud Stobæum *serm. 63. pag.*  
*407.* qui putat osculantes nihil aliud facere, dum invicem ora  
 tangunt, quàm ut animos quoque vellent conjunctos, si modo  
 corporis sui terminum transire possent, quod autem, cum ne-  
 queant, circa corpus, veluti fores adstare supplices videantur.  
 Quis quæso negabit castitatem exinde lædi, ipsique maculam  
 quandam accedere? præsertim cum plurimæ eademque mora-  
 busdam præjudicia adducit Wendelin. *cit. loc.* Putant quidem  
 adversã sententiã Patroni se rem omnem expedire posse distin-  
 guendo inter oscula, basia & suavia; Vid. Donat. ad Terent.  
*Eunuch. Act. 3. sc. 2. vers. 3.* quoad hæc nobis subscribentes: *illo-  
 rum verò licentiam strenuè defendentes.* Hæc tamen panacæ  
 omnia

omnia dubia non sanantur. Nam licet hanc differentiam Latinini agnoscant; imbelli tamen terminorum nexu inde evincenda hæc osculorum licentia. Cum enim nobis Christianis ab omni etiam specie mali abstinendum sit *1. Thess. V. vers. 22.* & tamen oscula pariter atque suavia uno eodemque gestu, amplexu & labiorum impressione fiant; & saltem interna mentis intentione distinguantur: vel ista mali species, quæ ex vicinitate osculi cum suavio resultat, fugienda erit. Facit & huc argumentum, quamvis *paleatum*, ne dicam ridiculum ex *can. 17. dist. 32.* in fin. ubi legimus: Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere. (ubi videtur alludere Hieronymus ad *1. Cor. VII. vers. 10.*) Et sanè metuendum est ne osculum vel basium ab ignoto acceptum in suavium degeneret &

Virginum ignoto ferat igne pectus: ut verba Senec. Trag. in *Hippol. v. 293.* mea jam faciam. Eiusdem quoque commatis est objectio, quam dissentientes movent, provocando ad dicta *I. Corinth. XVI. v. 20.* *II. Cor. XIII. v. 12.* & *Rom. XVI. v. 16.* ubi dicitur, quod alii alios in osculo sancto debeant salutare. Hanc etenim adversæ sententiæ arcem jam pridem oppugnavit atque feliciter expugnavit Gisbert. Voet. *Polit. Eccl. part. 1. lib. 2. Tr. 1. cap. 8. §. 2.* ostendendo nimirum (1.) dicta loca tantum de viris & fratribus se invicem osculandis intelligenda esse; quod expressè præcipitur *I. Thessal. V. v. 26.* De sororibus autem osculandis nullum reperiri præceptum. (2.) Observando, quod *plurimum* non tantum osculum, sed & salutationem generalem significet; & *Arabi interpreti* synonyma sint *ad salutare* & *ad osculari* *Rom. XVI.* quod potissimum probat ex *I. Cor. XVI. v. 19.* ubi versum *osculantur vos omnes Ecclesia &c.* quod de proprie dicto osculo accipi non debere stupidissimus quisque intelligit. Neque etiam Ignotos osculo excipere cum honestate seu decore atque existimatione virginum, foeminarum aut viduarum convenit, quippe quæ mirum quantum inde læditur. Cum enim ex solo habitu ignotos discernant, facillimò fieri potest negotiò, ut illi qui corium, olent, vel lictores, vel alii ex tenebricosa popina extracti, plurimis pavonum formosis (ceu graculis illè apud Phadrum *lib. 1. fab. 3.*)

&amp;

& utilantibus exornati irruant ad osculum foemina, quae se-  
 tum habet plenae nobilitatis, ejusque dignetur honore; imo  
 inde eveniet, ut earum ora forsan

Hircoso premat osculo colonus,

Hinc instet sibi textor, inde fullo,

Hinc sutor, modo pelle basiatâ,

Hinc menti dominus pediculosi,

Hinc defociulus & inde Lippus.

Si Martialem *lib. 12. Epigr. 59.* audiamus: quod, an ipsa-  
 rum existimationem augeat, an verò ipsi detrahat, æquorum  
 judicium arbitrio relinquam. Denique etiam ipsarum corpori-  
 bus insidie struuntur, si ignotos exosculentur, dum eos pos-  
 sint incurrere, quos scabies, lepra, vel morbus seu lues, ut vo-  
 cant, Gallica, non amplectendos, sed planè vitandos præcipit.  
 Quid enim ab his expectandum quibus &

Ulcus acre, pustulæve lucentes,

Et triste mentum, sordidique lichenes

Et labra pingui delibuta ceroto

Et congelati gutta nasi: quales basiatores Roma-  
 nos describit dict. Martial. *l. XI. Epigr. 99.* Quorum propior  
 contractus, & immundissimum basium ipsarum sanguini virus ma-  
 lignum superaddere potest, adeo ut labatur totus furor in me-  
 dullas, easque populetur & infectas reddat: quod Medici co-  
 rumque certissima Magistra experientia unanimi ferè consensu  
 attestantur. Vid. Dolæi *Encycl. Medic. lib. 3. cap. 15. §. 6.*  
 Conf. Erasm. *colloq. cui tit. ἀγῆρας ὑδατος, in fine fere.* Dari  
 autem quasdam nationes, quæ peregrinis & ignotis osculandi  
 copiam faciunt, extra omnem dubitationis aleam positum est.  
 De Belgis testis adest omni exceptione major Gisbert. Voet:  
*cit. loc.* Conf. Erasm. *d. loc.* Et Gallós hoc nomine ceu huma-  
 nissimos extollit Pierius *lib. 2. Hieroglyph.* Conf. Erasm. *Colloq.*  
 cui titulus *Diversoria*: Nec Moscovitarum seu Rutenorum  
 alios esse mores, quippe qui osculo mutuo omnes hospites ex-  
 cipiunt; refert Sigismund. *lib. Baro in comm. rer. Moscov.* Et  
 de Anglia si dubitas, evolve Polydor. Virgil. *de invent. rer. lib.*


IV. cap. 13. Sed tacere praestat de delicata hac osculorum materia,  
 non enim in castissima Themidis penetralia Venerem intromitte-  
 relicet. Et si vel ignoti osculandi cupiditate flagrent, ipsis sal-  
 tem suavor essem, ut vel virtutem, castasque Musas, plerumque  
 ipsis *ignotas* osculò excipiant. Tandem itaque Disputationis  
 calcem video, & ultimas lineas admoveri sentio. Id adhuc restat ut  
 bonis *ignorum* Zoilum mittamus

ad loca inaccessa omnibus,

*Ignota* Phœbo, quæque deterior polus

Obscura diro spatia concessit Jovi. Quemadmodum  
 dignum tali hospite diversorium describit Senec. *Tragœd. Herc.*  
*sup. vers. 606.*

**F I N I S.**





Marburg, Diss., 1708-78



f

IA-70L

nur 6 verknüpft





DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

DE  
JURE IGNO-  
TORUM,

Quam  
SUB PRÆSIDIO SUMMI PRÆSIDIS  
Ex Decreto & Auctoritate  
*MAGNIFICI atque AMPLISSIMI*  
JCTORUM ORDINIS

IN  
*Celeberrima Cattorum Academia  
Marburgensi*

Pro Summis in utroque Jure Honoribus & Privile-  
giis Doctoralibus ritè capessendis  
Publico & solenni Excellentissimorum Academiae Procerum  
Examini submittit,

*In Jctorum ad Lanum Auditorio*

*Ad diem V. Martii, Anni M DCC XI.*

HENRICUS PHILIPPUS  
ZAUNSCHLIFFERUS

Marburgensis.



*Marb. Catt. Typis JOHANNIS KURSNERI, Acad. Typ.*